DISSERTATIO ACADEMICA

DE

DIFFIDENTIA

publicè habita

à

JOACHIMO von Buchwaldt/
NOB. HOLSAT.

ATHENIS NORICIS

die 16. Mensis Septembris

ANNI M. DC. XLIII.

ALTDORPHI

TYPIS GEORGII HAGEN, Universitatis Typographi.

VIRO

admodum

Generoso, Strenuo, Magnifico, ac Nobilissimo

DOMINO

FRIDERICO von Buchwaldt

Equiti Aurato: Domino in Bulk. Seekampff. Knop. Neddergard &c.

Patrono ac Patruo meo multis nominibus venerando.

MAgnam rem molitus sum, Vir Generose, quando de Dissidentia in Incluto Noricorum Lycæo ad ejusdem Senatum omnes q. Cives, nuper verba facere sustinui, & quidem propria confessione rudi, ac, ut ista solet ætas, titubantiore. Equidem non ignoro, materiam hanc gravi ætate virum aliquem postulare, qui eam tàm doctæ Palladis genti proponeret, tamen quia is ad cujus nutum & voluntatem me vivere Deus & natura jubet, id ita voluit, omninò mihi religiosè parendum fuit. Ejusdem nunc instinctu Dissertationem meam in totius Orbis Theatrum produco, quanquam non sine gravi periculo, cum Momi satellites toto in me incurrere agmine videàm, sed quid ego? Sequar generosiores feras, quæ ad canum latratus lente respiciunt, adeoq. cum Plinio animum ad malignitatis famam perferendam parabo; Interim haud parum solatii ad me accedet, si Tibi Patrue admodum colende conatus iste meus non displicuerit! Certè hoc voto potitus in utramvis aurem dormiam & ad aliorum censuras minimè respiciam. Id considerans, Te Patronum ac Tutorem dictæ orationis meæ quærere volui: Tu quæso eam tolle, fove, & ama, calamiq. deliquia & nævos Benevolentiæ Tuæ tege suppara, imprimis verò contra maligni livoris dentes, morsus q. calumniæ Nominis Tui scutò defende. Felicemme hoc adjutore ac moderatore! quippe quo in tuto mihi jam navigare concessum est & cujus semper perspecta fides, amor & beneficia, quorum si unquam animo meo excidet memoria, excidam & ego omnium Bonorum memoria. Vale Vir Generose cum tota Familia. Scribebam Altorphii d. 2. Mensis Octobris Anni 1653.

Geneross. Magnif.

T.

Obsequentissimus

Joachimus von Buchwaldt.

367661

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

PROFESSORES EXCELLENTISSIMI,

ADMODUM REVERENDI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, VIRI CLARISSIMI; TUQUE JUVENUM NOBILISSIMA ET PRÆSTANTISSIMA CORONA.

EVit quondam Magni Aristotelis, aliorumq; gravissimorum authorum sententia, Cœlum totamq; illam concavam & orbicularem orbis superioris fabricam ab intelligentiis Motricibus, seu Angelis in orbem agitari. Crediderim ego, stupendam quoque hanc Mundi Machinam inferiorem, duabus agitari Intelligentiis,

Simulatione & Dissimulatione.

Dixerim sanè, sed sine fraude, nullum locum tàm Sacrum aut Religiosum, in quo egregii hujus Seculi Polypi suis Simulãdi & Dissimulandi artibus miseros nos mirum in modum non circumagitent; Olim simplicitatis maxima laus erat, scaphamq; scapham dicere Germanica fides dicebatur; Sed nunc aliud pectore clausum, linguâ aliud promptum habere, elegantiæ quoddam genus est; Sub amica fronte inimicum intus alere, amorem oculis ac verbis loqui, intus & in pectore odia nunquam moritura circũferre, ea demùm sapientia est. Sed hic mihi clamet quispiam, Portum, quem recta tenere nequis, mutatâ velificatione assequi necesse est. Laudet forsan hic alius virum, qui in discrimine animũ refert frementium Leonum; astutam verò Vulpem sub pectore servat. Recitet hic quispiam Sancti Hieronymi Canonem, *Utilem simulationem & in tempore assumendam*, Sic est. A. O. Est utilis & in tempore assumenda, nec ego rigorem illum Stoicum probo, fungus essem, si nusquã, stulte si nunquã viro, ad clavũ imprimis Reipublicæ sedenti, simulandum putarem. Scio, quod, quẽadmodum vagienti puerulo monilia haud vi extorquet Mater, ne suspirantis in ejulatum convertantur lachrymæ, sic simulachris quandoq; utendum Reipublicæ Directoribus, quibus imperito id concedere videantur populo, quod retinere ipsorũ maximè interest. Novi illud Tiberii: Qui *nescit simulare, nescit imperare*, Simulasse Abrahamum in Conjuge Sororem Simulasse

Jacobum, quamvis matris Imperio, Esavum, Davidem stultitiam simulasse, testis est Sacra pagina omni exceptione major; Imò ipsum Christum, nostræ salutis autorem, longius seiturum finxisse, eadem oracula testantur. Nobile sanè illud simulationis genus autumo, quando Exercituum Duces rebus afflictis hilaritatem de industria simulant, ne militum animi, si Ducis fractam viderint mentem, & ipsi collabantur; Virtutis scilicet species est, pro vitæ, quæ periculis involuta fuit, liberatione, ut consilia salva tectaq; maneant, simulare. Cæteræ verò simulandi & Dissimulandi artes fraudis naturam redolent & flagitiorum, quibus qui utuntur, turpes histrionias exercent, milleq; formas sumunt & reddunt, ea ratione, ut in cautos perimant atq; fallant. Pietatem laudant, vultuq; præferunt, impietatis ipsi mancipia. Arcana nostri pectoris scrutari remis velisq; contendunt, nulli sua pectora recludunt, centum servata claustris. Gestibus sunt venerabundi, ore ridente, oculis ad hilaritatem compositis, dant & sumunt amplexus, ad genua nostra & infra illa decrescunt; Pectus verò sceleratissimi, plenum amaroris fellisq; habent; si colloquaris, certis, sed fallentibus verborum formulis te compellant, ut veteres Fæciales vel Patres Patratos arbitreris, quibus certis, præscriptisque verbis hostem compellare, solemne erat. Sunt omnium Servi, etiam manuum pedumq; nostrorum, mancipia se nostra nominant, & ad omnia servitiorum obsequia promptissima ac paratissima, Operam suam prodigè & prolixè spondēt, omnia se nobis debere vitam, fortunam, & sanguinem juratò persuadent; Sed heu! Ferrum, Crucem & Ignes nobis parant, inter oscula venena spargunt, inter amica pocula toxica nobis propinant. Hyænis quam simillimi sunt, quæ lupi magnitudine esse dicuntur, inque mortuorum sepulchra sese condere, noctu verò ovium adire stabula redditisq;, quas audiunt, vocibus pastores evocare, egressos verò laniare & devorare. Sunt quædam A.O. poma, quæ Sodomitica tellus producere perhibetur, quæ licet aspectu sint pulcherrima, speciemque maturitatis habeant, edi tamen non possunt; fuliginem quippè intrinsecus favillaceam ambitio saltem extimæ cutis cohibet, quæ vel levi pressa manu fumum exhalat, & in vagum pulverem fatiscit. Ad vivum sanè hæc poma simulantium & dissimulantiū mores exprimere videntur. Tales enim extimis saltem labris amicum loquuntur, intus fumum & fuliginem fovent; Ut unico me expediam verbo: *Quod nolunt, volunt, quod volunt, nolunt, ambiunt, quod aversantur, quod aversantur, ambiunt*; O misera mortalium conditio! in quænam incidimus tempora, quis huic tandem malo medebitur Deus? Quodnam remedium hiscè vulneribus adhibendū? Auditores optimi; Sola mihi Diffidentia præsidium maximum esse videtur. Diffidentia omnes horum nocendi artes illudit: vincit, vincit, qui diffidit, Fuge, Fuge, quisquis es horum consuetudines, nec te credas facilè fraudulento huic oceano, qui tranquillitatem mentitur, sed momento in tempestates exsurgit cœlo ipsi metuendas. Non possum, Auditores optimi, quin in amplissimo hoc Musarum Theatro vobis sistam virum, qui tàm Eximium virtutis suæ Præconem invenit Divinum illud Homeri ingenium, versutissimū inquam Ulyssem, Generosum istum & acerrimum Martis pullū; Hic post emensa tot æquorum spatia ad Læstrigonas pervenerat, undecimq; navium jactura suorum sociorum temeritatem expiaverat, adeò ut admodum pauci relicti ipsi fuerint, ex quibus viginti duos unà cum Eurylocho duce in proximā insulā, Æoam, di miserat, qui omnes, quotquot erant, solo excepto Duce, sumptis malis Circes pharmacis in setigerorum suū, aliarumq; bestiarum speciem transmutati sunt. Quam rem ægrè ferens Ulysses, gladio sese accingit, pœnam de trivēnefica ejusmodi facinoribus dignam sumpturus: Sed, cum jam ad augustissimas famosissimæ mulieris ædes accederet, ubi jam exaudire poterat gemitus Leonum, iras Ursorum, Luporumq; ululatus,

Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
Fuderat Circe in vultus ac terga ferarum,

obviam illi fit maximus ille Deorum nuncius, miseratus sinè dubio hujus sociorumq; sortis, herbamq; illi nigræ radicis, lacteiq; floris, dictam alioquin Moli (quæ adhuc circa Pheneum & in Cyllene Arcadiæ specie illa Homerica nascitur magnitudine cepæ folio Sqillæ.) donat, cujus posteà beneficio tum ipse servatus, tum omnes socii humanæ redditi conditioni, salvi & incolumes reducti sunt. Hæc herba cœlestis, *est salutaris illa diffidentia, hæc certissimum illud Antidotum* contra Simulatorum & Dissimulatorum venenata pocula, cujus beneficio vastum & fraudulentum

mundi æquor rate integra enavigamus. In imẽsum itaq; hujus Diffidentiæ campum impræsentiarum, si placet, exspatiabimur & licentius evagabimur. Vos, Auditores omnium ordinũ dignissimi, adeste æquis animis, vestræq; patientiæ, suetęq; humanitatis documentum date. Mearum hoc unicè erit curarum, ut modicè magis & ad rem propositam, quam prolixè nimis & ad pompã dixisse videar. Quid autem vobis animi est, Auditores optimi? quod ego Diffidentiam, Monstrum illud horrendum, quod omnium Doctorum ore & calamo vapulat, tam effreni confidentia prædicem atque extollam. Anne lucem aspergere tenebris conor? hirsutamne ego hyemem floribus investio? Anne vobis videor cum Erasmo Stultitiam, cum Glauco injustitiam, cũ Mirandula barbariẽ, & cum Heinsio pediculos laudare? Estne Diffidentia illud portentum? quod Reges à suorum civium amore avertit, quod fratrũ amores in sævissima cõmutat odia, quod cõjuges, arctissimo junctos vinculo, sæpius in vincula, funes, venena, centumque mortis genera pellicit, quod amicorũ nos pariter ac vicinorũ privat affectu, etiam opud omnes nos suspicionis cõtaminat macula? Sic est, fateor; Sed huic Diffidentiæ & ego bellũ indico; Exilium illi in Christiana quavis Republica opto: Odi illum, qui pecuniã secum fert, & singulis eam stadiis numerat; Sibilo dignus Plautinus ille Euclio, qui, cum ollam suam in *Fidei* ttansferret *Fanum*, non ipsi *Deæ Fidei sed Sylvani luco* potius fidem habebat; Nunquã à me laudabitur Dionysius, Syracusarum ille Tyrannus, qui cultros tensorios metuens, suisque jam diffidens filiabus, ardenti adurebat carbone capillum. Neque tuum hic, Alexander Phereæ, sepulchrum liliis rosisq; donabo quod, cum uxorẽ Thebem tenerrimè amares, tamen ad eã in cubiculũ nõ intrares, nisi Barbar⁹ quidã præiret, tuorũve stipatorum quendã præmitteres, qui arculas muliebres perscrutaretur, &, ne fortè in vestimẽtis occultaretur telũ, inquireret. Tu quoq; Galliarũ Rex, CAROLE VII, nostras non mereberis laudes, qui toto ægritudinis, qua decumbebas, tempore omni prorsus cibo abstinebas, idque veneni metu, quod tibi paratum existimabas. Turpis hæc planè est Diffidentia, prorsusque à virtute, etiã legibus deviat, & idcirco non imẽritò inter vitiorũ fœda collocatur agmina. Huic hominũ generi aliud è diametro quasi est oppositũ illique

illique planè adversum gens scilicet aperta, plus quam candidâ & incauta, quæ omnibus omninò fidem adhibet, nulli denegandam sanctè credit. Ex hac cohorte qui sunt, simplicitatis usque adeò sunt amantes, ut ex suo judicio totum metiantur orbẽ, insidias, quas nulli struunt, ignorant, dolos, quibus ipsi carent, non metuunt, & circumveniuntur. Appellatur à quibusdã hæc credendi facilitas *error, non culpa*, quod in optimi cujusque mentẽ facillimè irrepat; Sed si verum fateri velimus, potius fatuitatis quædã species dicenda. Ideoque & huic meritò virtutis nomen invidemus; Hi in excessu, alteri in defectu peccant, *utrumq; in vitio est, & omni & nulli credere*; Verum inter hæc præcipitia media adhuc datut via, qua quidẽ omnes tutissimè ingredimur, Ea scil. est Diffidentia, per quam fidem habemus iis, qui merentur, eorum contrà fidem suspicimus, qui sine fraude non reperiuntur. Fateor equidem, si in Platonis Politiâ, si in aureo adhuc seculo vitam ageremus, diffidentiæ nomen facilè ex virtutũ albo deleri & expungi posse; Verum enim vero vivimus in Romuli fæce, bellum militamus cum vafris subdolisque ingeniis, Utiq; igitur alia vita alios mores postulabit; cum vulpe pariter vulpinarier oportere, vetus est adagium, quod nos non quidem fraudulenter agere, sed saltem contra fraudes dolosque munitos esse debere, innuit. Vinum vinum esse non desinit, quamvis aquâ leviter temperetur: Nec Prudentia prudentia, si guttula in ea diffidentiæ. Neque ob hanc causam ab honesti laude recedit: Agite enim, Auditores Optimi, quid turpius, quid ab honesto magis remotius, quàm si Princeps, qui pro omnium salute excubat, labatur, erret, vel decipiatur? Sed quis hominum magis fraudibus, technis ac dolis est expositus, quàm princeps? Quid si lapsus fuerit, deceptus fuerit, nónne autoritas ejus vilescet, nónne ejus Majestas in Civium contemptum abibit? Sed quid turpius, quàm contemni, &, quod magis, à suis subditis? Non itaque inglorium nec inhonestum Principi esse potest, si honesto Diffidentiæ scuto contra tot insidias, tot nocendi artes sua latera tegat, ac defendat. Idque nobis assiduo ore inculcat Epicharmus; *Sobrius esto & diffidendi memor. Hæc enim sunt nervi & artus sapientiæ*, Mirâ hæc felicitate Galli exprimunt:

La

La Sobriete & la Desfiance
Sont les nerfs de la Prudence.

Pythagoras inter magnos sui seculi maximus, non cuivis porrigẽdam vult esse dextram, cum & Honoris & Fidei & Amoris & Benevolentiæ illa sit tessera, ejusdemque subtractio & denegatio, simultatis & odii signum. Euripides, *diffidentiam omnibus hominibus, qui sapiunt, à natura* inquit *concessam, tanquam salutis custodem, & firmissimum Fortunarum munimentũ, per quam Ulysses tot evitarit pericula.* Theognis dicere solitus:

Res mihi fracta fide, res diffidendo retenta.

Iterum se hìc mihi offert Gallicus, sed omnibus ingenii doctrinæque præsidiis instructissimus Autor:

Il est tous jours loüvable de sè desfier
quand il est nuisible d' estre trompe
Et utile de ne pas croire
quand la foy manque d' ordinaire

In hac quoque sententia erat Græcorum illud oraculum, Solon, Mortalibus, inquit, à cunctis caveas, ne fortè quis occultis animo odiis amicum te appellet vultu hilari, bifidaque ex ore sonet lingua. Hinc est, quod Parens Eloquentiæ, Cicero, cujus nũquam obliterabitur memoria, quamdiu Romanis literis honor autoritasque erit, amicissimo suo pectori, Attico suo scribat, *Pompejus amat, nosque caros habet, Credis, inquis, Credo, prorsus mihi persuadet, sed quia, ut video, pragmatici homines omnibus historicis præceptis, versibus denique cavere jubent & vetant credere, alterum facio, ut caveam, alterum, ut non credam, facere non possum.* Sic Apollonius Tyanæus interrogatus à Rege Babyloniæ, quônam pactô tuto stabiliterque regnare posset, respondet, *si sapientes, si multos honoraveris, paucis verò credideris.* Euge, Nobilissima Civium Corona, quâ fronte Diffidentes ex honestorum pellemus consortio, cum omnes pragmatici homines, tota antiquitas, & quicquid unquam emunctioris fuit naris, illorum nomen ab inhonesta macula vindicet. Sed quid ego Ciceronem, quid Theognides, quid Euripides, Solones & Epicharmos meæ sententiæ Defensores eligo? Cur non in sacra illa æternæ æterni Dei sapientiæ arcana vos deduco? Audite, Audito-

ditores optimi, æterni Numinis vocem & Oraculum: *Ex millibus vix uni fidas, nec amico, nisi probato.*

Ite nunc, quotquot estis, Zenones, & ingenuam honestãq; Diffidentiæ faciem inhonesto conspurcate luto. Quin potiùs tantam in pectore fiduciam gero, ut in publico hoc Clarissimorum Virorum consessu affirmare non verear, totam hujus mũdi securitatem à sola dependere diffidentia, usque adeò necessariam toti orbi virtutem, diffidentiam existimo. Solem qui cæteris cœlestibus astris demerit, non ea solùm sua luce privabit, sed &, quicquid est hujus universi, crassis spissisque tenebris replebit. Omnibus condimentis facilè caremus, sed salis tanta est necessitas, ut nisi corpora nostra, nobis viventibus, putrefieri velimus, de illo nobis seriò cogitandum sit. Est mihi instar Solis & Salis Diffidentia, sine illa totus mundus, quasi in tenebris palpitat, sine illa totum Reipublicæ corpus putrescit & enervatur. Agite excutiamus omnes vivendi rationes, omnes dignitatum ordines, totumque pervagemur orbem, nullus erit locus, audacter dicam, qui non interversi candoris & sauciatæ fidei nebulis, sit obductus. Ad Vos primùm accedo, qui primi inter omnes estis, qui Diademata & Sceptra geritis, qui maris atq; terræ Dominia possidetis. In aulas primùm excurrite vestras. Sed monentem, quisquis es, qui sapis, Princeps, prius facilis audi:

Tu quicunq; es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua Vulgus in aula
centum pariter limina pulset,
cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.

Vox erat Senecæ, Optime Princeps. Is tot fraudibus, tot perditorum & abjectissimorum hominum insidiis obnoxium te credit, ut nec in satellitio nec præsidio spes ulla esse possit. O dictum, ex tripode dictum! Cum quibus enim tibi negotium est in aula tua? plerumque cum Adulatoribus hominum genere pessimo, callido, vafro, subtili atque doloso. Audi vetus Adagium, *Aula Adulatoribus, ut vermibus scatet*, hæc tuæ aulæ mancipia tua latera undequaque cingunt, Te tanquam umbra comitantur, honesta sive turpia, proba

 sive

sive improba feceris, pariter laudant; quod justum esse voles, justum, quod falsum, falsum judicabunt, Crudelis & violentus si fueris, Magnaminum & Generosum Te dicent; si prodigus nullisque sumptibus parcens, liberalis eris, magnificus, tuorum servorum optumus remunerator, si voluptuosus, veneris Bacchiq; Satelles, astutum, affabilem, & ad omnia promptum te appellabunt; Si avarus, Sanguisuga, Tyrannus fueris, Princeps audies, qui Regnandi artes optime calleat dignusque sit, qui toti orbi dominetur; Frontem tuam singulis momentis intuentur, in quam tu partem, in hanc se prono corpore projicient; ridebis? Risum imitabuntur; mœrebis? lachrymas fundent; morbo tentaberis, morbum simulabunt; Stomacharis? Illi erunt in fermento; amas? erunt tibicines, Veneres adducent; delectaberis otio? laudabunt. sævis? oleum subministrabunt; sed, quod ridiculum magis quàm deplorandum, si corporis aliquo laborabis vitio, eodem & illi laborabunt, si tardius audiveris, & illi, si claudicaveris, & illi; quodvis deniq́ue corporis vitium tecum commune erit, adeò etiam minuta observant & æmulantur, saltem ut morigeri, &, si Diis placet, obsequentissimi videantur. Date veniam, Auditores Honoratissimi, si quædam aulæ mancipia hic in medio sistam. En vobis, si lubet, Clisophum, Philippi Adulatorem, hic tàm inepto atque abjecto erat animo, ut propterea, quod Rex obliśum crus haberet, & ipse cum illo deambulans claudicaret. Adjungam huic Alexandri Magni aulicos: Erat Alexander cervice leviter in curva & panda, cum intraret: Quid Aulici, quid Proceres? Certatim pandulis incedunt cervicibus, quasi verò sic ipsum effingere possent, quem tamen vix totus capere poterat mundus. Ejusdem farinæ erant Dionysii minoris cubicularii aulici, huic obtusior erat oculorum acies, Adulatores itaque ejus in conviviis sæpius se invicem ita de industria allidebant, ut patinas & lances confringerent. Idem de Hieronis dicitur Assentatoribus, qui cibum à mensa petituri, se patinas non videre simulabant sæpè manu consultò aberrantes. O vilissima & ignava pecora! Numne vobis tam vilis & ridicula Principis persona esse debet, ut ludibrio eum habere &, *ut Ampheram, auribus circumagere* jure vestro vobis licere putetis? Tolerandum hoc foret malum, Auditores optimi, nisi majus quoddam in sinu foveret, quod integra Regna evertit. Habet hoc adulatio, (prohdolor!) ut fiduciam quandam in animis hominum generet, cum credere incipiamus, quæ dici gaudemus & esse volumus, sed habent & hoc sceptra plerumq́; , ut Philautia laborent, laudes suas pronius accipiant, faciliusque credant, quàm cæteri mortales; Damnari & Discere grave est Diademati, gratum & jucundum laudes audire, Nolunt doceri sceptra, laudari potiùs cupiunt, unde fieri solet, ut, dùm in fidem eorum, qui eos commendant, facilè concedunt, hisce lenociniis facillimè capiantur: Misera Principum conditio! dulce verò venenũ quod dum avare bibitur, totum corpus, totam Regiam, totum deniq́ue Regnum inficit atque pessundat. Ehem, si vellem, quot funesta toti Orbi Exempla adducere possem: Caligula, pessimus optimi Parentis filius, sola adulatione tàm fœdum factus est monstrum, ut se Deum haberi imagines q; suas intemplis statui jusserit: Ecquid vitellium tàm præcipitem egit, quàm adulatio? formatas scilicet hunc in modum habebat aures, ut asperrimè, quæ utilia essent, contra jucundissimè, quæ læsura forent, acciperet. Quis Commodum Juvenem, quem optimus Pater accitis undiq́ue & adhibitis, & moribus & doctrina claris Doctoribus erudiendũ magna mercede curavit, quem ipsemet verbis suoque Exemplo ad virtutem pellexit, à mensariis tamen quibusdam Adulatoribus aulicisque cubicullariis, qui ventre atq́; obscœnis voluptatibus felicitatem metiebantur, corruptum fuisse nescit? Ecquis ignorat Neronem, crudele, tætrum & immane illud monstrum solis Adulatorum laudibus, qui in Cœlum usq́; eum extollebant, stimulatum, toties Cothurnos & personas induisse, cantando in scenis certasse, omnium certamina obiisse, aliaq́; indigna tanto Imperio flagitia admisisse? Quis non funestum Cæsaris exitum Adulatoribus adscribet? qui varios & invidiosos ei conquirebant honores, statuis ejus nocte diademata imponebant, quò multitudinem impellerent ad regios ipsi honores decernendos? Sed eheu! quàm miserè periit iste Dictator! In ipso Senatu tribus & viginti vulneribus ad terram prostratus, sanguine curiã implevit. Hinc est, quod Divinus Plato adulatorem, *bestiam* dicat, *omni humano generi pestilentem similem Dæmoni, incautos animos sub noxiæ voluptatis escâ continuè corporis sordibus inquinanti*; Divus Gregorius

rius hos comparat cum Scorpionibus, qui vulnus & virus, quo fr̃gunt, infundunt. Sed & Conſtantinus, optimus ille Imperator, ſpadonum cęterorumq; aulicorum adulatorum oſor vehemens, *tineas ſoricesq; palatii eos* appellat. Et cum his tineis, ſcorpionibus & Dæmonibus ſociam agis vitam quisquis in celſo faſtigio collocatus, aliisq; imperas, cum ejus modi hominibus quotidiè te verſari oportet, quid itaque quæſo facies, quid conſilii eo rerum ſtatu capies, ne te, tuumque regnum extremo exitio involvas? Diffide, quisquis es, qui regnas, ſola diffidentia tutus ibis, Laudatoribus tuis ne credas; Fuge horum mendacia labra, aures claude, quibus ceram parùm eſt obdere, cùm firmiore ſpiſſamento opus ſit; ſi laudant, maledicta puta, pergunt laudes laudibus cumulare, Sirenum voces crede atque diffide, non amantium, ſed odientium voces exiſtima. Scorpios cogita, vultu blãdiuntur, caudâ verberant, de propinquo mella, de longinquo venena jaculantur; Expende, hos non tecum, ſed cum tua fortuna loqui, ubi illa mutaverit, vices mutabit & Adulator, ex laudatore damnator futurus. Laudo itaq; Athenienſes, qui ſecuri in Aſſentatores ſæviebant. Et vos mihi æternum venerandi Theſſali, qui civitatem, Adulationem vocatã, ſolo æquaſtis, Tuq; Heliogaballe, quod Adulatores amicos Ixionios vocaveris, eosq; rotæ aquaticæ alligaveris, mihi Divus eſſes, niſi hanc virtutem variis contaminaſſes flagitiis, Tu verò, Tiberi Cæſar, ampliſſimam laudem auferes, quod tàm lepidè adulatores tuos Aulicos habueris. Erat quidam homo Conſularis, juxtà & Adulator Eximius, hic Cæſarem per genua orare conabatur, Cæſar hominis turpem & indecoram animi abjectionẽ ſecum perpendens, miro artificio illi illuſit. Nã dum ille jamjã genua amplecti cuperet, hic ſe ſubtrahendo paululum, fecit, ut Conſularis iſte ſupinus caderet. DEUM immortalem! Si omnia Aulæ Mancipia, omnes adulatorum turmæ, qui hunc in modum ad Principum genua ſeſe ſubmittunt & incurvant, per terram traherentur, quod agmina, quantas copias in Principum aulis humi ſtratas videremus! Sed paululum liberius, evagatus ſum, ad vos Purpuratos jam revertor. Habet aula adhuc alios Comites individuos, etiam certiſſimos. Non ſolùm cum Adulatoribus, ſed & Delatoribus, vel Detractatoribus vobis res, quod hominũ ſanè genus publico exitio natum & rẽpertũ eſt. Noxiæ hæ ſunt viperæ, quæ in optimũ quemq; venena jaculãtur; Horum detractationes ſive delatiões ſunt inſtar fulminis, improvidos & imparatos ante perimunt, quam periculum denunciant: Viliſſima & humi ſerpentia negligũt, alta & firmiſſima impetunt, vetus eſt in Republica malum, *ut in ſole nemo ſine umbra, ſic in fama nullus ſine livoris nebula*; adeò magna ingenia ad invidiam & obtrectationem nata ſunt! Marcus Cato, Princeps erat Porciæ gentis, Senator optimus, optimus Imperator, Orator optimus, quater tamen & quadragies, vel ſi Lipſio credimus, quinquagies cauſam dixit, ſemper abſolut⁹, additq; dictus autor: *nec id gratia aut opibus*. Atqui exinde, optime Princeps, quanto prè Diffidendum ſit, acutè perſpicis. Sanè niſi tuos Optimates, civesq; omnes, exules, Patriaq; extorres cupis, horum hominum livorẽ haud promis auribus excipe; In omni delatione dextram aurem Reo, delatori ſerva ſiniſtram; Magno exemplo Magnus Alexander præeat. Hunc, cum victricibus armis urbem Tarſum ingreſſus eſſet, liquor amnis Cydni invitavit pulvere ac ſudore ſimul perfuſum, ut calidum corpus ablueret, veſte itaq; depoſita in conſpectu agminis deſcendit in flumen, vixq; ingreſſi totum propemodum corpus vitalis calor deſtituit. Ingens jam erat ſollicitudo & pænè luctus in caſtris, ipſe ægrotus mori ſtrenuè, quàm tardè cõvaleſcere præoptabat, omnes proindè Medicos edicto evocabat, ut, ſi quid artis in illis eſſet, id omne experirentur, ſe non tàm mortis, quàm belli remediũ quærere. Erat tùm nobilis Medicus Philippus, fidus admodũ Regi, puero adhuc comes & cuſtos ſalutis datus; Is fidenter ſe remediũ allaturũ promittebat. Nulli promiſſum ejus placebat, præterquã ipſi Regi; ſed nunc animũ advertite, A. O., delatorum nunc videte morſus, quos nunquam ullus effugere poterit bonus; Parmenio purpuratorũ, ſi Diis placet, fidiſſimus, dat Regi literas, eiq; nunciat, ne ſalutẽ ſuam Philippo comitteret, quoniam mille talentis à Dario, ſpeq; nuptiarum Sororis ejus corruptus eſſet. Videte hic viperarum venena! Fideliſſimus Regi Medicus proditionis accuſatur; Sed quid Rex? Non dubito ſanè, quin hæ literæ ingentem regio animo ſollicitudinẽ incuſſerint; Nihilominus tamen non diu animum in diverſa verſat, libere decernit, Fides Medici prævalet, quam nunquam ſuſpe-

ſuſpectam habuerat. Noverat delatorum ingenia, quæ in fidelisſimos quoſq; virus ſuum evomunt. Altero itaq; die dextram porrigit, poculum accipit, hauritq; interritus. En toto orbe dignum Imperatorem, dignus, quimeo judicio inter optimos numeretur. Eſto & Domitianus Imperator vobis, Imperia quotquot poſſidetis, exemplum: Hic crudelis, ſimulator, ſuſpicax, & inſidiator erat, neq; tamen Delatores & Detrectatores tulit, omnes tanquam ſummam humani generis peſtem urbe Roma ejecit. Conſtantinus Magnus, cum illi indicto Concilio Nicæno plures libelli, qui criminationes continerent, offerrentur, accipit quidem, ſed in unum faſcem collectos, ſtatim in ignem, ne inſpectos quidē, coràm omnibus jecit. Verè Chriſtianum pectus! Vos verò cæteri, Macti hac virtute, Principes, Delatores ex aulis regnisq; veſtris ejicite, vel ſi hoc durum vobis videtur, ſaltem diffidite. Sed nimis diu in Aulicorum hâc ſcabie commorati ſumus, ad curias, Parlamenta, Sanctiora & Interiora concilia, ubi totus purpuratorum Patrum & Conſiliariorum chorus, gradum mecum dirige. Sed antequam intres, virum in publicis negociis exercitatiſſimum, Philippum Cominæum, quem nunquam ſine laude nominandus Lipſius non veretur componere cum quovis antiquorum ſcriptorum, propterea quòd omnia viderit, penetraverit, & conſiliorum arcana eruerit, prius patienter audi: *Non affirmem*, inquit, *omnia Principum conſilia ſtupidis hominibus, inſtructa eſſe, majorem tamen eorum partem, quos ego viderim, his nequaquam exoneratam fuiſſe in me recipiam.* ô Deus bone! ſi quis noſtro hæc diceret ævo, quanta conſiliariorum agmina in hunc incurrerent, quot nova ſuppliciorum genera excogitarentur; non una morte ipſi obeundum eſſe omninò mihi perſuadeo. Sed Cominæus eſt, qui loquitur. A me longum abſit, ut Principibus autor ſim, ſuis ut diffidant conſiliariis, neq; enim, ſi velim, poſſem, cùm res hæc ſuprà meam ætatem ſit, adeoq; captum ſuperet. Cyri Regis tabulas hic producā, è quibus ultimam ipſius voluntatem audietis: In agone mortis erat, filium ſuum Cambyſem accerſiri jubet, eumq; ſic alloquitur: *Cambyſe, non aureum eſt ſceptrum, quod regnum ſervet, ſed amici multi ſceptrum ſunt veriſſimum maximeq; ſecurum. Itaq; ſi aliquos Regni cuſtodes tentes efficere, nunquam aliundè priùs incipe, quàm ab eo, qui in eodem loco tecum natus eſt.* O ſalutare agonitantis præceptum, dignum quod aureis literis publicis Principū infigatur parietibus, dignum quod in tenera ærate omnibus Principibus, cum iis memoria adhuc valida, inculcetur, dignum in quod omnes Principes Regesq; jurarent. Scimus, Auditores Optimi, ſingula ferè ſecula, ſingulis nobilitata cladibus, dixerim ego hoc ſeculum fœda peregrinorum colluvie. Sanè, quemadmodum remedia ab Afris & Indis petita pretioſiora æſtimantur; ſic hodiè externa (proh dolor) ingenia præferuntur internis. Sed audi effatum Magni Lipſii planè divinum: *Ut, in quam domū*, inquit *Veſpillones veniunt, ſignum eſt funeris, ſic Reipublicæ labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini.* O divine Lipſi, quàm verus tu orbi Chriſtiano vates. Noſti, quod, qui ſpes ſuas intra Reipublicæ terminos clauſas non habent, perrarò comodum ejus ſpectent; noſti, quòd advenæ Civium motum ſint imperiti, eorum ingenia ignorent, momenta rerum non intelligant. Noſti, ſine dubio, quod, qui aliena adminiſtrant, plerumq; ſint negligentiores aut improbiores, quod promiſſis ſæpius pervertantur, mercedi magis expoſitam habeant fidē & obnoxiam, quàm qui in patriæ ſinu educati, qui fidei teſſeram à Parentibus, à majoribus acceperunt, qui affectum in patriam ſuumq; Regem unà cum lacte atq; idiomate materno hauſerunt, & adhuc alunt. Perpendiſti ſine dubio, o maxime Lipſi! cum hæc ſcriberes, quòd Indigenæ patriiq; germinis homines hanc inſignem non facilè concoquant injuriam, ſi in ſua Republica advenis plus credatur aut tribuatur; *livor enim & averſio animorum certiſſimæ novorū hominum ſolent eſſe pediſſequæ.* Quis eſt, qui exterioribus ſaltem labris Guilielmi, Siciliæ Regis, res geſtas guſtavit, & ſiculas illas ignorat turbas? Auxerat Guilielmus admirandæ fidei & virtutis pariter Gallum dignitate Cancellarii; Sed quid Siculi, quid regni Proceres? Indignantur, æſtuant, tantum magiſtratum externo homini mandatum, contumeliam ferro vindicare ſtatuunt, neq; ſaltem huic uni, ſed omnibus Gallis, qui in Sicilia, Calabria & Apulia, mortem & perniciem machinantur. Miſſis itaq; ſecretis nunciis per omnia oppida & municipia populares hortantur, ut in Gallos omnes pro ſe quisque ſigno dato irruant; Datur ſignū, omnesq; Galli in univerſa Sicilia, tota Apulia & Calabria una die

fœdum in modum trucidantur. Commiſerat Alexander Perſis corporis ſui cuſtodiam, Perſas Satellites, Perſasque Apparitores conſtituerat, hanc rem tàm ægrè ferebat Exercitus Macedonic⁹, ut, concurſu in Regiam facto, arma ante januam projicerent, corpora ſua Regi truncanda traderent, flentes à Rege peterent, ut ſuis ſuppliciis non verò contumeliis ſe ſatutaret. Utinam ſaltem indignationes, ejulatus aut fletus audiremus! utinam in peregrinorum capita hæc redundarent mala! ſed heu ſæpius ipſi Reges & integra Regna hoc ſudore pereunt. Quis facta ignorat Alberti Suecorum Regis? quem ſubditi in carcerem conijciebant, quod per externos omnia ageret? Quis Rixam cum Caſimiro Poloniæ regno ejectam neſcit, propterea quod Teutonibus Magiſtratus conferret? Quid? nonnè ob eandem cauſam Miezislaus ſenex ſecũda vice regno exutus? Feliciſſima Germania, quæ lege Regia & Publica tibi caveri jubes & impetras, ne quis, niſi quem tua produxit tellus, ſummum Magiſtratũ gerat! Tu verò nobis gratiſſima Gallia, tu terrarũ, quotquot Sol vidit, cultiſſima, tu Comitatis ac Elegantiæ Parens, morum Magiſtra, Palladis domicilium, quàm miſera contrà & afflicta es hodiè,

Sed quid ego hæc autem ne quidquam ingrata revolvo?

Ad vos revertor, Principes. Vidiſtis, quantum inde vulnus capiat Reſpublica, quantũ damni nonnunquam in veſtra derivẽtur Capita & Sceptra. Diffidite itaq; his advenis, quibus nec ſeritur, nec metitur, ſi veſtrum ſtetq; cadatvè Regnum. Sed nec uni alterivè regnorum univerſa committite. Cavete vobis Reges, periculoſæ hæc Res eſt aleæ, de cujus infelici jactu integra periclitantur Regna; Sanè vix unus tantæ moli par eſt, neq; omnibus omnis homo ſapit horis. Et quia homo eſt, errare, labi & decipi poteſt, imò fallere; quid ſi vos deſerat, quid ſi in hoſtium partes abeat, conſilia propalet? nemo domi relictus erit, quem fidum experiemini; dùm enim unicum hunc vobis arctiſſimè devinctum voluiſtis, cæteri omnes odio vos habent. Ah, quam latiſſimus mihi hic dicendi campus pateret, quot noſtri ſeculi exẽpla allegare poſſem; ſed tacitò potius hæc præteribo pede. Vobis quantũ Diffidẽtia profit, ipſimet videtis Principes. Porrò, quid de Dorophagis dicã, de auri argentiq; mancipiis, de Conſiliariis, qui munerũ potiùs, quàm muneris rationẽ habent, qui nullũ præter monetę numẽ adorant, adorant, hiſcè per Deum imortalem diffide Princeps, Te tuosq; omnes, ſi occaſio dabitur, vendent; ſiquidẽ vis tanta auri eſt, ut nihil in tactũ illæ ſumq; maneat, nec thalamus, nõ uterus, nõ ubera, non ſacra, non profana, non ipſe Deus. Et quamvis ampla illis numeres ſtipendia, totos largiaris agros, magnifica exſtruas palatia, eo fine. ut in fide tua maneant, gurgites tamen maris citiùs expleveris & dolia Danaidum, quàm hos bonorum helluones. Quin & ab ingeniis tuorũ Conſiliariorum cave, quæ de torcularibus & ignibus æſtuant, quæ ferrum, cædes & bella ſuadent, ut ex rapto vivant, ruſticorum ſanguine diteſcant, & ex tuis ſtipendiis rem familiarem augeant. Tandem tuis quoq; diffide Theſaurariis, hos populi Harpyjas cogita. Hi nullum tibi aliud conſilium ſuppeditabunt, quàm ut populum non tondeas, ſed deglubas; varias exactiones, tributa varia, mille vectigalium genera ex terra, mari, montibus, vallibus, nemoribus, paſcuis, modos tibi centum ſubtiles extorquendi ad tua augenda æraria ſuggerent; Sed tu Diffide, Harpyiarum hæ voces. Illi nucleum edunt, tibi putamina relinquunt. *Nunquam deeſt pecunia Principi, ſi frugalitas adſit, ſi prudens & moderata elargitio ſi non in oculorum oblectamenta, inanem ſplendorem, ſtultosvè & ſuprà humunam ſortem conatus,* Docent id Imperatores Romani, & Romano-Germani. Claudiis, Vitelliis, Caligulis, Neronibus ſemper pecunia defuit; nunquam Auguſtis, Tiberiis, Trajanis, Rudolphis, *quorum ille ſeptem ſupra ſexaginta auri milliones, hic ſeptendecim reliquiſſe narratur.* Copioſè hic iterum dicerem, niſi alia dicenda reſtarent, ad quæ nunc propero. Deducamus igitur & concomitemur Regem vel Imperatorem noſtrum in Forum ad populum,

ah miſer
quanta laboras incharybdi,
Vix alligatum te triformi
Pegaſus expediet Chimeræ!

In primo fori lapide diffide. Quotecunq; vertis, in dubio & incõſtanti fluctuas, oceano. Eſt populus ſimilis mari, quod modò in ſe tranquillũ, modò levi ventorum pulſu minas cœlo jaculatur, reſidetq; iterum, iterumq; in minas ſurgit, ſemper infidum, nunquã quietũ, & cũ trãquillitatẽ ſpondet, mẽtitur nã quo momẽto blãde navigia ſuſcipit, mergit. Hæc multorũ capitũ belua, ſtupidũ hoc,

ſemper aliud, nunquam idem animal, nemini, neque ſuo Regi vel Duci parcit. Teſtis mihi Miltiades, generis antiquitate, gloria majorum, ſuaq; modeſtia unus omnium maximè florens, huic tãtus ob ſua in Rempublicam merita honos à populo Athenienſi tributus, ut in porticu, quæ Pæcile, hoc eſt, varia vocabatur, inter decem Prætores prima ejus imago poneretur, ſed vide variũ & mutabile vulgus! Idem ille populus eum poſteà in publica vincula conjecit, ubi diem ſuum obiit ſupremum. Neque felicior fuit Themiſtocles, hic Corcyræos fregerat, maritimos conſectãdo prædones mare tutum reddiderat, Xerxis claſſem maximam poſt hominum memoriam parvo navium numero devicerat, Civitatem Athenas ſuo periculo muro cinxerat, neque tamen Civium ſuorum invidiam effugere poterat, ſed abſens teſtarũ ſuffragiis damnatus & civitate ejectus eſt. Quid de Ariſtide dicã? Vir tantæ integritatis & candoris erat, ut cognomine Juſtus appellaretur, exilio tamen decem annorum à populo mulctabatur. Cimon maximæ erat Eloquentiæ, Liberalitatis & Prudentiæ, magnas copias apud flumen Strymona fugaverat, apud Mycalẽ Cypriorum & Phænicum ducentarum navium claſſem devictã ceperat, in eandem tamen populi incidebat invidiam, quâ parens ejus. Quid de Scipione Africano? Fulmen hic erat Romani Imperii, Hannibalem vicerat, Africam in Carthagine ſubegerat, Rempublicam reſtituerat, invidiâ tamen populi Romani ignobilis moritur accola vici ac deſertæ plaudis. O ingrata Patria, tu ne oſſa quidem tanti Herois habebis! Alexandrum Magnum audi, Philippus, inquit, in acie tutior, quàm in theatro fuit, hoſtium manus ſæpè vitavit, ſuorum effugere non potuit. Intuere Galbam magnum, ſed eheu! infelicem Imperatorem, quantæ exclamationes, quot vota in initio Imperii? Septem tamen poſt menſes jacet inhumatum ejus cadaver ac in glorium, donec miles à frumentatione rediens, onere rejecto, caput amputat, & ad Othonem defert, qui Lixis illud & Calonibus calcandum donat. O Regum infelicem, miſeramq; conditionem! E centum vix quinq; ſuâ morte, aut inter caros ſuorum amplexus vitam finiverunt, quibus cum populo res fuit, cavete itaque vobis Principes, hic Fortunæ ludus eſt, victimæ huic Reges, & quicquid toto orbe magnum: Sceptrum, Diademata m Purpuram calcaſſe magis, quam in Sago & Ligonibus ſæviiſſe volupe eſt. Sed cur ego purpurato ſemper ſanguine hoc Theatrum funeſto? Quis modus, ſi omnia perſequi velim? ſufficiat demonſtràſſe, Principes neq; in Aula, neq; in Curia, neq; in Foro unquam, niſi Diffidentià ſint muniti, tutos eſſe. Ad vos, qui Regibus conjunctiores eſtis, qui juri dicundo præeſtis; ad vos Conſiliarios, Legatos, cæterosq; omnes, qui in Civili vel Politico ſtatu fortunæ aleam ſubitis, ſermonem meum deflecto. Numnè veſtrum illud vitæ genus ad genium antiquæ illius & germanæ ſimplicitatis, virtutis ac fidei comparatum, adeò, ut Diffidentia in veſtrà exſulet domo! Sed, niſi me omnia fallunt, ſecures, flammas, & venena in veſtris vobis parata video ædibus. Te primùm jam compello, qui inter aulicos fluctus & tempeſtates Spiritum trahis, qui Regibus propinquiores; diffidas, autor tibi ſum, reprimè audaces greſſus, ne fide purpuræ bis tangendæ. Periculoſa Principum eſt Familiaritas, flammarum naturam habent, paululum à ſe remotos illuminant, proximiores comburunt. Sunt Aulæ nil niſi Sphæriſteria, & quotquot in illis, Regiæ pilæ, exiguo atq; inſperato momento ex infimo loco ad ſupremum evehuntur faſtigium, evecti rurſum deturbantur. Sanè quemadmodum Abacorum calculi pro lubitu calculatorum modò æreum obulum, modò talentum valent; ſic aulici ad nutum Principis modò beati, modò miſeri exiſtunt. Nimis toti orbi notus Sejanus; Erat hic Tiberio amiciſſimus, Imperio propinquus, Cæſari Proximus, Domini ſui potens atq; in Conſulatu Collega, hujus natalis Cæſaris indultu publicè celebrabatur, imagines aureæ illi ponebantur; Sed, ô rerum vices! unica evertitur epiſtola, & caput illud, toto orbe ſecundum, laqueo collum præbet, cadaver tractum, diſcerptum, nullibi aut ubiq; ſepultum. Quo die illum Senatus duxerat, populus eum in fruſta diviſit, in quem quicquid congeri poterat, Dij homines q; contulerant, ex eo nihil ſuperfuit, quod Carnifex traheret. Idem ille Tiberius ſupra veteres amicos ac familiares, vigenti ſibi è numero Principum depoſcerat, veluti in negotiis publicis Conſiliarios, horum tamen vix duos aut tres incolumes præſtitit. Quis Alexandri Magni Attalos, Philotas, Lynceſtes, Clitos, Parmeniones, Lyſimachos & Chaliſthenes ignorat? hi quantum ad hoſtes pertinebat, vivebant, in acie ſtabant,

ſtabant, Regem ſuis clypeis protegebant, pro gloriâ ſuâ, pro victoriâ, vulnera excipiebant: Sed ô fata iniqua! Alius menſam Regiam ſanguine ſuo aſperſit, alius ne ſimplici quidem morte defunctus. Parmenio, qui multa ſine Rege proſperè, ſine quo Rex nil magnæ rei geſſit, per amicitiæ ſpeciem indictâ causâ trucidatus, Lyſimachus Leoni objectus, Lynceſtes lanceis confoſſus, Clitus haſtâ trajectus, Calliſthenes mori juſſus, Philotas miſerè cæſus; *hæc ſunt præmia Regiæ amicitiæ!* Sanè, dum exitum horum intueor, ſaginari mihi ut victimæ ad ſupplicium, ut hoſtiæ ad pœnam coronari videntur. Quid itaque fidis regnis & ſceptris? Inter binas roſas mille ſpinas, pro tenui mellis favo, fellis, plena dolia, pro rore ſaxa pluunt; ſi quid benè factum Principi, levior plumâ eſt gratia, ſi quid minus gratum, plumbeas iras gerunt. Fuge itaque quisquis es, & diffide. Nunc ad vos digredior, qui populo jus dicitis, qui pro tribunali ſedetis, qui Dei vices in terris geritis, qui controverſias ſopitis, dirimitis, unicuiq; ſuum tribuitis; Audi Judex, in aurem tibi dico, Cave,

periculoſæ plenum opus aleæ
tractas, & incedis per ignes
ſuppoſitos cineri doloſo.

Sunt litigantes improbi, ſubdoli, maligni, perjuri, dummodò victoria fruantur. Diris ſe omnibus devovebunt, dummodò ſuperiores ſint; Cave itidem Rabularum ſordes, & diffide; Hi litè ex lite ſerunt, ſatas producũt per cõperendinationes, ad quæſtũ & Lucellũ eunt, ſunt Vultures togati, arguti, & ad fraudes nati, plauſtra legum adducunt, ſuasq; ſententias, ut cõmunes, tot autorib⁹ aſtruunt, ut Teutonũ vel Cimbrorum exercitum putes, ſaltem, ut tibi palpũ obtrudant, & à veritatis tramite deducant. Imò tibi ipſi tuisq; Collegis diffide, ſæpius amor ingenioſus eſt, ſæpius odium falſa ſuadet, hic affinitate aut ſanguine junctus, ille veteri aut novâ amicitiâ, alter alterum in ſuam trahit ſententiam, & grus gruem ſequitur. Taceo jam muliebres formas, precesq; nocturnas blandientis conjugis, taceo harum fallaces lachrymas, quæ vel ſolæ ferrea virorum pectora emollire ſueverunt; ab ancillâ itur ad filiã, à filiâ ad matrem, & inde in maritũ, & quod gravius eſt, conjugi non paruiſſe, non amaſſe eſt. Cave, cave Judex, multi fraudibus ac dolis adverſariorũ tremebundã ſub acie ferri porrigunt cervicem. Eheu, quot millia propter maritarum preces intolerabiles infelici affiguntur arbori. E veteribus ſaltem unicum, ſed Ottonis III. Imperatoris. Hic, licet puer ad Imperium eveheretur, unde etiam *pueri* cognomen accepit, progreſſu tamen tẽporis, ſalubertimis imprimis Willigiſii præceptis inſtructus, ita crevit, ut admirandam propter ſapientiam, *Mirabilia mundi diceretur*. Sed non ubique ſtetit Imperator hic, lapſus eſt, & graviter, meo judicio. Uxor ei erat Maria, parum caſta, hæc, poſtquam juvenis muliebri habitu circumductus, flammis vivus combuſtus erat, Comitem, elegantis formæ virum cepit deperire; Conabatur multis eum blanditiis in ſui amorem pellicere, ſed reluctatur Comes, copiam uſuramque ſui corporis denegat. Id perdolitum Imperatrici, adit Imperatorem, animum ejus occupat, tentatæ pudicitiæ Comitẽ accuſat, moleſtis deniq; opprobriis Cæſarem inſtigat, ut ſuæ injuriæ vindictam ſuſcipiat. ô Cæſar, in re tàm arduâ tantique momenti noli ſoli maritæ patulas dare aures. Sta ſaltem pauliſper, nec præceps rumpe faſces, non agitur hîc de capite Papaveris, ſed de vitâ hominis, qui æterni Dei imaginem circumfert. Sed ſurdo narro fabulam. Credit Otto ignavè, calidè condemnat, & iniquiter Comitẽ capite plectit. Sed ehem! quàm citò ſequitur pœnitentia, ſed ſera, quantâ prodigalitate corrigit hanc crudelitatem! Comitis vidua Cæſarem accedit; Viri innocentiam ferri candentis judicio probat; Injuriam Cæſar Viro factam agnoſcit, veniam delicti quatuor caſtrorum donatione à Comitiſſa petit, ſuam verò conjugem Mariam ultricibus flammis comburit. Accedite huc, quotquot humani ſanguinis arbitrium habetis, Ottonis exemplo diſcite, vobis quod ex uſu ſiet. Diffidite ſaltem, nec fallacibus ſtatim credite uxoribus; Etiam atque etiam apud vos cogitate, & omnia animo evolvite, antequam horrendum illud recitetis carmen: *I lictor, deliga ad palum, manus adſtringito, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito, vel honoris causâ caput amputato*. Circumſpicite omnia, quæſo, judicium terve quaterve differte, accuſatorem ſubtilibus & fallacibus quæſtiunculis confundite, animum explorate, ut de veritate vobis conſtare poſſit. Sic Sapientiſſimus Regum Salomon mirâ quadã animi ſagacitate controverſiam illam inter duas muliercula, quarum quæli-

bet vivum ſuperſtitem infantem ſibi vindicabat, diremit. Sic Daniel impuros illos ſenes, Patibuli Candidatos, qui Suſannam, formæ famæq; integram matronam, fractæ pudicitiæ accuſabant, prudenti aſtutiâ mendacii convicit; Caſtiſſima Suſanna, teſtibus convicta & condemnata jam eras, obtorto rapiebaris collo, lapidibus jam obruta jaceres, niſi Deus opem tibi cœlitus tuliſſet, Juvenisq; Daniel portētoſis hiſcè ſenibus diffiſus fuiſſet. Nec minus circumſpectus erat Rudolphus, Imperator optimus, in re quamvis pecuniaria. Erat is Norimbergæ Imperii rebus intentus; ſed ecce, Mercator quidam jus etiam vindictam in hoſpitem petens, qui ducentas argenti marcas bona fide depoſitas, imprudenter abnegabat, nequiter tenebat. Imperator re benè perpenſa, aſtum adhibendum cenſet; Quærit, cujuſmodi eſſet Sacculus, in quo argentum abſconditum erat; Formam Mercator deſcribit, & in proximum cubiculum ſecedere juſſus; Conſtituerat jam Imperator hoſpitem evocare, ſed fortè fortuitò primarii tùm urbis Cives veniunt, ut ſolet, gratulatum huic Principi, inter quos & Perfidus ille hoſpes; Norat eum jam ante Cæſar, & ut comitas ejus erat, benignè & per facetias appellat, petit ut pileum donet; Arridet ille, pileum lubens dimittit, Cæſar ſecedit, quaſi publico quodam negotio avocatus, fidoq; ac noto ejusdem Civitatis Civi mandat, ut cum pileo hoſpitis uxorem cōveniat, ejusque nomine ſacculum petat, pileumque ſi credere nolit, in fidei teſſeram monſtret; Dictum factum. Mulier agnoſcit pileum, ideoque nihil ambigens, tradit ſaccu-lum ad Maritum deferendum. Accipit Imperator ſacculum, hoſpitem ad ſe vocat, eiq; Mercatoris querelam de ſuà perfidià recitat! Audacter hoſpes, mentiri Mercatorem aut dementire, nihil ſibi cum eo eſſe, aut fuiſſe; Profert Imperator ſacculū, Hoſpes confunditur, animo & lingua labitur, crimen fatetur. O ſi Deus orbi Chriſtiano Judices daret Rudolphinos, qui diffiderent, qui æquè ſubtiliter & ſagaciter in cauſarum veritatem inquirerent, non tot viduarum pupillorumque videremus lachrymas, non tot audiremus de denegatà juſtitiâ querelas! Jam ad vos, quibus arduum Legatorum munus concreditur, libero pede vagor, ſed & libera voce; Liberè ſanè & audacter dico, quod niſi Legatus diffidat, non unus Ulyſſes hunc Ajacem circumvenier, & niſi

& niſi in occipitio quoque oculos habeat, ad Legati munus minus aptus erit. Mittitur plerunque ad maximas Principum aulas, quæ ſuos habent Corycæos atq; impoſtores, ad hoc maximè edoctos atque compoſitos, ut arcana huic commiſſa rimentur atque explorent, quorum fidem niſi ſuſpiciat, certiſſimum exitium ſibi attrahet. Varia & diverſa ſunt eorum munia, ſæpius ad hoſtes mittuntur ad denuncianda bella, ſed quis hoſti fidem habeat? quis hoſtilia non metuat? præſertim ſi ſubdolum atq; vafrum ejus ingenium, quod ſi hoſtis Legatum verbis circumvenire, terrorem incutere, quidvis denique, quod lubitum erit animo ſuo, perſuadere poterit, nonne Legatus ſe ſuumq; Dominum in interitum conjiciet? Hujus indolis erant Fœciales Hunnorum, quibus inſigni illudebat ſtratagemate Longobardorū Rex Grimoaldus; Milites ſuos, quorum parva illi manus erat, in Legatorum conſpectu decurrere, eosdemque diverſis inſtructos armis ire & redire clàm jubet, potuerat ſanè hic diem citius, quàm militum numerum hoc aſtu finire, Legati ad hoc attoniti, metuunt, abeunt, paremque metum Regi totique Exercitui incutiunt; *Hiſce commendes ſi quid rectè curatum velis?* Quod ſi paululum legati iſti diffiſi fuiſſent, quam facilè de Grimoaldo tum actum debellatumque fuiſſet. Sed & ad componendam pacem, ad impetrandas inducias, ſæpius mittuntur. O Deum atque hominum fidē! quantà cautione hic opus, quantà diffidentià, quamvis centum quis Argi oculos habeat, captus nihilominus vel circumſcriptus erit. Solent tùm ab utraq; parte mitti, qui contrahant, qui pacis leges & conditiones ſcribant. Contractus ſæpius, me hercule, ita comparati, ut Delio Urinatore opus ſit, ſi mentem ſaltem eorum capere velis; tanta verborum ambiguitate, & neſcio quibus cavillatiunculis ejusmodi conditiones abundant. Ex ditiſſimâ rerum geſtarum penu, quædam ſaltem pacis fœdera doloſa atque dubia depromam. Poſt captam à Romanis Heracleam Ætoli pacis petendæ gratia non ſemel miſſis Legatis tandem decem dierum inducias à Conſule Manio Acilio impetrant. Quoniam verò huic circa alias res occupato tantum otii non erat, ut ſermones eorum audire poſſet, L. Valerium Flaccum comitem illis addit, cui quodcunq; vellent exponerent; Hic, Ætolis merita ſua ad populum Romanum commemorantibus, autor erat, ut ſermo-

nem istum in preces verterent, veniam à Consulibus impetrarent, seseque populi Romani fidei committerent. Placet hoc Lucii Consilium, simulq; cum Lucio Phæneas mittitur, qui Manio ea quæ decreta erant, referret. Is Consulem adit, Ætolorum causam strenuè agit, addit tandem, decrevisse Ætolos, *sese Fidei populi Romani permittere*. Mox Manius, ne quis Ætolorum in Asiam transiret, deindè ut Dicæarchum dederent, postulat. Ad hoc Phæneas; Nequc justum, neque moris Græcorum quod imperaret; Sed Manius catenas afferri, bojasque ferreas collo aptari jubet. Stabant attoniti Legati Ætoli, magisque muti quàm pisces, inopinatus quippè hic casus, & corporum & animorum illis usum ademerat. O miseri Ætoli, quam egregiè vos Romanorum Fides decepit! Ignari linguæ Romanæ, vos Vocem Fidei committere additis, quasi propter id Consul mitior futurus esset, sed apud Romanos non humanitatis hæc verba sunt, integra hæc locutio regna secum trahit. *Fidei sese Populi Romani permittere*, nil aliud est, *quàm agros & urbes omnes dare, viros similiter & fœminas, quotquot in agro sunt, arma deniq; portus, monumenta & omnia sacra deferre, ita, ut omnium Dominium fiant Romani, vos verò qui eorum fidei vos concreditis, omnium omninò rerum Dominium amittatis*. Ite nunc Ætoli, sed imposterum ipsi Fidei diffidite. Pari verborum astutâ ambiguitate circumventi à Locrensibus Siculi, hi fœdus cum illis ineunt, sed mirum in modum eluduntur. Locrensium verba hæc erant: *Amicitiam cum Siculis, Locrenses servaturos, & regionem hanc pro communi ambobus populis habituros, quamdiu terræ huic pedibus insisterent, & imposita humeris capita gestarent*. Hæc cum ita convenissent, (addit egregius rerum Romanarum Scriptor Polybius) Locrenses ad præstandum jusjurandum accedunt, postquam in calceamentorum sola terram injecissent, humerisq; alliorum capita superposuissent, ita tamen, ut non apparerent. Deindè è calceis terram excussêrunt, capita alliorum abjecerunt, Siculosq; ubi primum data fuit occasio, è regione expulerunt. O fallax Locrense genus, à quibus nemo nisi diffidens tutus erit! Magis impiè famosissimus ille orbis Latro, Tamerlanes; Huic Incolæ urbis Sivastæ certis se conditionibus dedunt; Ille

Ille pactum se servaturum, nec ullius sanguinem profusurum, cõfirmat; In hũc itaq; modum datâ & acceptâ fide, fit deditio, Cives securi magno numero ex urbe prodeunt; Ille puteos fodi frequẽtes, eoq; præcipitari quotquot ex urbe egressi erant, terraq; superingestâ rursũ repleri jubet, ut sic absq; profusione sanguinis exstinguerentur. O impia anima! æternis tu cruciaberis flam̃is, hæ diræ sunt fraudes, O. A. quas nemo nisi diffidendo vitarit. O salutaris orbi Christiano diffidẽtia, sine quâ nulla diu Respublica cõsistere potest! Considerate saltẽ quotquot cõmuni bono nati estis, fatales Rerũpublicarũ periodos, Regnorũ ętates varias, stant, intereũt, mutãtur, transformãtur. Causã mihi hujꝰ metamorphoseos velim dicatis; Nulla prorsus, nisi neglecta diffidẽtia, nimiũ sui cõfidentia, & negligẽtia inquirẽdi in suspectos, ac in eos inprimis, qui dominãdi libidine quędã in Republica im̃utãt. Minima quædã im̃utatio sæpè integra regna mutavit, funditus evertit & pessum dedit. Ut corpora singularia contempta tendunt ad morbos, Morbi verò nõ curati ad interitũ; Sic in Republica neglecta quędã im̃utatio. Ex parva scintillula sæpè flam̃a ingens oritur. Ex parvis sanè initiis integræ crescunt & decrescunt Respublicæ. Pisistratus mihi testis, stabat huic sententia occupandi Tyrañidẽ; Id cum apertè nõ posset, per cuniculos agit, voluntariis verberibus domi afficitur, lacerato corpore in publicũ progreditur, advocata concione, vulnera populo ostendit, de crudelitate Principũ, à quibus hęc se passũ simulabat, queritur, addit vocibꝰ lachrymas, & invidiosa oratione multitudinẽ credulã accendit, amore plebis se senatui invisũ affirmat, tandẽq; ad sui corporis custodiã, satellitũ auxilium impetrat. O indoctũ nimisq; credulũ vulgus, cur hosti tuo arma & satellites subministras, mox tibi futuros carnifices? Vera auguror; occupat Pisistratꝰ Tyrañidẽ, optimos quosq; civitate pellit, tres & triginta años regnat, regnũq; ad filios transmittit. Lõgè feliciores Romani in tollẽdo Manlio. Hujus unius dextra Capitoliũ stetit, quẽ nisi populo Romano dedisset Deus, nũquã staret Roma, viginti tres cicatrices in corpore habuit, quas p patria accepit Patronus à Civibus appellatus fuit, farreq; donatus, sed cũ novas res moliretur, obstrictos ęre alieno cives liberaret, nexos solveret, in suspicionẽ affectati Regni venit, accusatur, damnatur, de Saxo Tarpejo pręcipitatur, ipsiusq; sangvine, Capitolii, quę servaverat,

mœnia funeſtantur, domus diruitur, bona publicantur, Edicto cavetur, ne quis Manlius vocetur. O Manli, Manli! Manlius eras cum præcipites agebas Senones, ſed poſtquam mutari cæpiſti, factus es unus ex Senonibus, ideoq; præcipitandus. Pari felicitate Caſſium è medio ſuſtulebant Romani, non huic tres Magnifici Conſulatus, non duo ſpecioſiſſimi Triumphi profuerunt, ſuſpicio ſaltem concupitæ dominationis tantum ei nocuit, ut Senatus Populusque Romanus eum Capitali afficerent ſupplicio, ac interempto domum ſuperjacerent, ut penatium quoque ſtrage puniretur. Optimè quoq; meo judicio, Mucius, Tribunus plebis diffiſus eſt qui Conſultationi Caſſii nefariæ reſiſtens, ne ſubrogarentur Magiſtratus, quò Reſpublica Magiſtratû orbata faciliùs opprimeretur, ſumptô prius de Caſſio ſupplicio, Collegas omnes tanti facinoris autores vivos cremavit. Optimè & pulchrè Tribune Muci, tu niſi occidiſſes, occidiſſet etiam tecum pulcerrimum totius orbis caput. Jacent Romæ Gracchorum inſepulta cadavera ſupremusque humanæ conditionis honos filiis Gracchi & nepotibus Africani deeſt, quod civitatis ſtatum convellere conati fuerint. Utinam Roma ab hac prudenti diffidentiâ nunquam receſſiſſes! Utinam Syllæ, Mariiq; ſanguine Capitolii funeſtaſſes mœnia, non urbs ſanguine ſuorum nataſſet Civiũ, nunquam tabulam, in qua mille Equeſtris ac Senatorii ordinis mortis victimæ conſcriptæ erant, vidiſſes, nunquam vocem miſerandam audiſſes; *vivere aliquos debere, ut eſſent, quibus imperaret Sylla!* Utinam Roma Pompejo Cæſariq; diffiſa eſſes, nõ tot flumina civium ſanguine rubuiſſent, adhuc forſan in libertate ſtares, totiq; orbi Jura dares, ſed diffidere deſiiſti, & ſimul eſſe libera; Non eſt, quod Solis Lunæq; Eclipſes, non eſt, quod aſtra fatavè infelicia accuſes, te ipſam potiùs, quod novarum rerum molitoribus temerè credidiſti, accuſa. Hactenus in aulis, in curiis, in Foro, in Legationibus & Judiciis tempora contrivimus noſtra, intremus jam ſancta magni Dei templa, ſacram pietatis Arcem, Religionis Fideiq; cuſtodem. Forſan illic cuncta levato velo aguntur, forſan illic ſimulandi & diſſimulandi locus non eſt, ut ſine metu etiam liberè vivere poſſimus; Sed ſiſtite gradũ Auditores Honoratiſſimi, in ipſo templi veſtibulo Cruces, Hydras, Flagella, Secures, Dracones & Stigmata video, video ob-

ambulare quosdam tetro pallidoque vultu, raſis capillis, veſtibus oblongis, brachia jactantes, cœlum intuentes, ſed diffide, quisquis intras, Hypocritæ ſunt ac Hæretici fallaces, ſub ovina pelle lupi voracis animum gerunt, canum more circa ovile latitant, ſaltem ut introire poſſint; Pietatem vultu & barba mentiuntur, ut aditus illis pateat, poſtquam intraverint, dulci te fucatæ Religionis veneno inebriant, dumq; virus hoc non præcaves, tanquam piſcis hamo ineſcatus caperis, & quod dolendum, animã & corpus tuum in nunquam morituros ignes deferent. Arius, monſtrum illud Alexandrinæ Eccleſiæ, oblongus erat torvi triſtisque vultus, verbis pius, blandus, ſed quantus quantus, nil niſi Arius, id eſt, doloſus, quot millia ille hominum horrendo ſuo ſeduxit dogmate, & turbavit! Sed vide aſtutiam hominis; Præſide Cõſtantino Magno, ac Euſtachio magnæ Antiochiæ Epiſcopo, à trecentis & octo decem Epiſcopis in Nicæno Concilio damnatus erat, librique ejus blaſphemi, Chriſtianorum auribus & oculis indigni judicati, & in medio omnium diſcerpti. Ille ingenium ſuum verſutum, atque vetus ad fraudes & fallacias convertit, in omnes orbis partes confeſſionem ſuam mittit, probatque ſe idem cum orthodoxis ſentire. Revocatur itaque ab exilio, hâc tamen conditione, ne Alexandriam redeat; ſed cum pulcrè hoc proceſſiſſet, reditum in Alexandriam parat, Euſebium convenit, & ut ſe precibus apud Athanaſium juvet, etiam atque etiam rogat. Verùm, cum hoc non ſuccederet, aliam quercum excutit, & Conſtantiam, Conſtantini Sororem, in ſuas partes trahit, mox illa Imperatorem; Imperator, qui antea ſuis ſcriptis Alexandrinam Eccleſiam hortatus fuerat, ut impium illud Arii dogma exſecraretur, ac Nicænæ decreta Synodi amplecteretur, jam de recipiendo Ario Athanaſio ſcribit, minasque, ſi nolit, addit. Mittitur in exilium pius Athanaſius, revertitur ad Eccleſiam Alexandrinam doloſus hic hæreticus, ſed quoniam adhuc omnibus ſuſpecta ejus erat fides, ab imperatore Conſtantinopolin vocatur, ut Synodi Nicænæ decretis ſubſcribat; ſubſcribit, ſed fraudulenter, nequiter, blaſphemè, ut ſolebat; Scripſerat enim hic Impoſtor dogma ſuum in charta quadã, ſcriptumq; ſub alâ occultaverat, atq; ſic juraverat: ſic ſe credere atque ſentire, quemadmodũ in charta ſcripſiſſet. Intelligebat peſſimus hic Veterator non orthodo-

xam Confeſſionem, ſed heterodóxam ſub alâ occultatam, O Fraus homini Chriſtiano, & Præſule potiſſimùm indigna! Quis credat poſthæc juratis Præſulibus? Verum alia adhuc agmina video, cucullatorum ſcilicet Patrum, ſanctulorumq; Fratrum, hi in foraminibus & cellulis habitant, ferarum induti pellibus, funibus cincti, diſcalceati, ſanguinẽ flagellorum vi extorquent, Paupertatem, Caſtitatem, Obedientiam prædicant, nihilq; in iis, quod non pietatis ſpeciem præ ſe ferat, deſiderari poteſt. Sed per Deum immortalem, nil niſi ventris abdomina, terræ inutilia pondera, fruges conſumere nati, ſicarij, latrones, quorum perfida manu multi Reges percuſſi atq; proſtrati ſunt. Ecquis Gallorum Regem, Henricum tertium ad Cledoaldi pontem Gallorum, totiusq; orbis oculis ademit? Jacobus Clemens Dominicanus ſacrificulus. Cujus ictum Henrici Quarti dentes excepe-runt? Sacrificuli Caſtelli, ætate penè pueri, malitiâ ſenis recocti. Sed cui pectus tàm ſaxeum atq; durum, ut Henrici Septimi Imperatoris Optimi, Bellatoris egregii, ſepulchrum lachrymis non humectet? Pius hic erat, humilis, manſuetus, juſtus, liberalis ergà pauperes, adeoquidem ut Patriæ Pater, ac Italiæ Servator diceretur. Idem cum iter ſuſciperet verſus Apuliam contra Robertum, mandati ſui ſpretorem, ipsâ vigiliâ aſſumptionis Mariæ in caſtrum quoddam, Bonconventum dictum, venit, propter feſti ſoleñitatẽ ibidẽ quieſcit, & cum per aliquot dies, precibus, jejuniis, bonisq; operib⁹ vacaſſet, ſanctiſſimo cibo lãguidã refocillare animã, ſacraq; Synaxi frui cõſtituit. Sed ecce iterũ Monachũ Dominicanũ, hominis prodigiũ, inferni prolẽ, Cucullatũ Sicariũ. Rex devotâ mente ac manu Altare accedit, à ſcelerata hujus Jacobini manu hoſtiã accipit, & ſimul cum hoſtia venenũ. O Regicidarũ nequiſſimè! tunè Imperatori, terrarum Domino, ori tàm auguſto, pectori tàm ſacro in Magni Jehovæ conſpectu, pro Servatore ſuo, venenum præbere auſus? O ſcelus ſceleſtiſſimum! Neſcio, an orbis tantum unquam viderit flagitium, quo ſub ſpecie Sacramẽti mors portigitur, & calix vitæ in Calicẽ mortis cõvertitur? Miſeros Regẽs, Miſeros Imperatores, quibus etiam ſanctiſſimũ illũ cibũ petentibus, mors propinatur! Neſcio, an hic dicere auſim, diffidite. Sed quid nobis cum cucullato hoc grege, ad majores Gentium Deos, ad Epiſcopos & Archiepiſcopos, omnis divini

divini & humani jurisperitiſſimos, nos cõferamus, horum forſan animus procul eſt à fallaciis, horum fortaſſis ex conſortio diffidentia proſcribenda erit. Verùm manes adhuc oberrãtes furiasq; video Hattonis Moguntini Archiepiſcopi. Antiſtes is erat Moguntinus Maximus, ſed ſi verum dicere fas eſt, fraudum infernaliũ Antiſtes, Perfidiæ nõ fidei Doctor. Invaſerat Albertus Comes Pabenbergenſis, Heros inſignis, Cunradum Comitem Haſſiæ, eumq; occiderat; Iratus eo nomine Ludovicus Imperator in Comitiis Moguntinis ad dicendam cauſam, Albertum adeſſe jubet; Quò cum venire recuſat, in arce Babenberga ab Imperatore obſidetur. Interponit vices ſuas Sanct⁹ Epiſcopus, Comitẽ adit, illiq; perſuadet, ut ſecum ad Cæſarem eat, jurejurando confirmans, ſe facturum, ut, aut in gratiam cum Cæſare redeat, aut ſi conveniri nequeat, incolumis in arcem remittatur; Fidem habet Archiepiſcopo Comes (& quis diffideret?) ad prandium, ut communiter fit, eum humaniter & officiosè invitat; Archiepiſcop⁹ morâ nulla interpoſita dextràm prehendit. iterq; cum eo ingreditur. Vix urbe egreſſus, jam demũ, inquit Comiti, pœnitet me ſpreti prãdii, quod offerebas. Iter nobis eſt conficiendũ lõgius, neq; poterimus quod diei reliquũ eſt, jejuni ambulare, Lœtus ob hoc dictũ Albertus, ſeſe ad genua hujus Pontificis ſubmittit, & ut in urbẽ ſecum revertatur, blandè precibus poſcit. Placet id Archiepiſcopo, redit in arcem, lautè & benignè à Comite habetur; perfidum caput liberatũ jam ſe putat, à juramento, ſuoq; officio pulchrè defunctũ, quod Comitem incolumen in arcem reduxiſſet! Pranſi itaq; ad Imperatorẽ deſcendunt, ibiq; confeſtim Albertus cõprehenditur, manibusq; poſt terga revinctis, ſecuri percutitur. Quis Cretenſiũ unquã ſic fuit mendax? Quis pœnus ſic perfidus, quàm hic Germanus ſanctæ Sedis Mogũtinæ Præſul? O Generoſe Comes, nec quicquã aſtra invocas, fruſtrà Archiepiſcopi fidẽ imploras, ſi diffiſus fuiſſes ſecurus, nõ ſecuri percuſſus fuiſſes; Sed quis Epiſcopi fidẽ ſuſpectã haberet? Nunc ad ſacratiſſimũ pro Regis cœleſtis tribunal, ad ſanctiſſimos ſumi Pontificis pedes procũbamus, acceda mus propius ad ſacra Cardinaliũ ſubſellia, hîc in Angelorũ vivim⁹ cõſortio. Qui Dei in terris vices gerit, imò ipſe Deus eſt, hîc nobis præſto eſt, jam itaq; in tutô navigamus; Hîc Halcedonia regnant, nunc liberè agamus; hîc nulla opus diffidentiâ. Sed utinam vera

 dicerem;

dicerem, utinam hic vice-Deus veri Dei characterem in fronte gereret! Sed nihil minus, quàm Dei vices gerit. Fugite, Fugite hinc, quotquot estis Principes, Principumque heredes; Dixerim ego, Papam omnium bellorum causam & fomitem; Nihilq; aliud sacrum illum Purpuratorum Patrum cætum cum suo Præsule meditari, quàm ut omnium Christianorum Principum arma inter se collisa videant, saltem ut Hierarchia eorum Ecclesiastica subsistat, & ex Principum spoliis nutrimentum & robur sumat. Scivit id Hildebrandus, ac Romam mirum in modum auxit, Pedibus quondam sum̃us Pontifex iter faciebat, nunc equis & sella vehitur, ab Imperatoribus & Regibus portatur, Equum ascensuro stapiam Imperator tenere tenetur. Quondam non habebat, unde caput reclinaret, nunc ab ejus mitra integra regna pendent. Quondam ne obulum quidem habuit, nunc non unũ possidet Regnum, tota propemodùm Europa, Asia, Africa & America ab hoc oraculo pendent. Quondam Regibus ille subjectus erat, in solium à Romanorum Rege ponebatur, & ab eo pro lubitu deturbabatur; nunc Romani Reges, ac ferè omnes totius orbis Principes ad oscula pedum ipsius admitti, in beneficii non exigui parte collocant, idque ob divinitatis & pietatis opinionem. Tantum crevit Roma, aliorum imperiorum ruinis;

Tu potis unanimes armare in prælia fratres
atq; odiis versare domos, tu verbera tectis
funereasq; inferre faces, tibi nomina mille
mille nocendi artes,

Roma! Tu Fratrum, Parentum & Consanguineorum excitas odia, Tu Regnis & ditionibus exuis Principes, subditos eorum jurisjurandi solvis Religione, imperia transfers, Imperatorum, Regum, ac Principum capita excommunicationis fulmine percutis. Jacet hoc fulmine percussus regnoq; suo spoliatus Henricus IV. Imperator facundus, ingenuus, acer, Eleemosynis carus, miles intrepidus, qui bis & sexagies acie collata dimicavit. In hunc filius, Pontificis præstigiis fascinatus, armata insurgit manu, in summas angustias deducit, sceptrum tandem & coronã adimit, redigiturq; Pater ad tantam inopiam, ut præbendam ab Episcopo Wormatiensi petere cogeretur, sed non impetrat, fractus tendem tot injuriis animam exspirat; Cadaver ejus stetit toto quinquennio Spiræ in Sarcophago lapideo extra templum, antequam sepultura ei concederetur; Idq; solum Papæ instinctu. Icti hoc fulmine Ludovicus IV. Otto IV. Fridericus II. Angliæ Rex Johannes, Poloniæ Rex Boleslaus II. & alij multi Reges. Et quis insidias nescit Hildebrandi! solitus erat Henricus Imperator frequenter oratum ire ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ. Hildebrandus cum per exploratores suos omnia ejus opera sollicitè inquireret, locum in quo frequentius Imperator orabat, notari fecit, & quendam promissa pecunia ad id induxit, ut supra trabes Ecclesiæ occultè lapides magnos collocaret, & ita aptaret, ut de alto super caput orantis demissi ipsum contererent; perfidiam ecce plus, quàm punicam in Sanctissimo Dei Vicario! Minister tanti sceleris opus peragit, lapidem magni ponderis aptat, sed ecce ultrices Dei manus! trahitur hic miser lapidis pondere, justoq; Dei judicio, in pavimentem Ecclesiæ cadit, eodemq; lapide penitus conteritur. Agite Imperatores, quotquot estis, & Reges, adorate triformis purpuratas Romæ mitras, pedibus Papalibus oscula infigite, red hostimenti loco lapides ille vobis parabit; Sed cur Papam, cur Cardinales, cur Episcoporum & Monachorum fidem accuso? Convocemus omnes Cardinales, Episcopos omnes, Abbates omnes, ex Germania, Italia, Britannia, Hispania, Gallia, Pannonia & Polonia omnes Theologos, demus his Præsidem Papam, videamus utrum Clerici hi in unum glomerati, fidẽ mereantur, sed fidem non repetio, perfidiam sæpiùs deprehendo. Johannis Hussi Bohemi Tragœdiam modò ante oculos vobis ponite, Auditores Optimi. Vocatur ad Constantiense Concilium, ut illic suæ doctrinæ rationem redderet, publicâ illi fide cavetur, credit, venit comitatus multis nobilibus, ad Colloquium admittitur, capitur, detinetur, accusatur, damnatur, tandem igni mancipatur. Et ne quid sceleris deesset, cineres in profluentem Rhenum dissipantur. Quæso vos, quanta hæc est perfidia, cui hominum fides danda erit, si & toti concilio diffidendum. Audite, ut de hujus toti constet orbi perfidia! Omnes quotquot aderant sanctissimi Patres, uno ore decernunt: *Hæretico non esse habendam fidem*; O hominum perfidiam! Si omnia Elementa in Reipublicæ Christianæ perniciem quasi conjurassent, nulla calamitas major orbi inferri potuisset Christiano, quàm quæ ab hoc

dogmate. Ipse Satan capitalis & ἀνθρωπος humani generis hostis, in Christianorum exitium hunc machinatus est canonem, ut totum orbem bello flagrantem videret; Vidit ob hunc canonem Bohemiam sanguine natantem, Germaniam christiano sanguine funestatã, Belgiũ cædibus oppletum, Galliam funerib⁹ repletã.

Heu quantum terræ potuit pelagiq; parari
hoc, quem crudeles hauserunt sanguine dextræ,

In Asia, in Africa Christianorum jam volitarent signa victricia, nisi novo prorsus exemplo Christiana inter se collisissent capita. Juvenalis pro miro & monstro habuit, duo oppida propter religionis diversitatem in Ægypto concurrisse, idque Satyra dignum censuit; quid si jam ex suo sepulchro mortalibus redonaretur, totamque Europam, tàm acria, tàm diuturna & cruenta propter religionem videret gerere bella, utique centum ille Satyras conscriberet, & ad diffidentiam Reges hortaretur: Diffidite itaq; vos, qui populo Christi sanguine loto præestis, post tot pugnata bella, post partam almam pacem nunc demùm diffidite, & procul à vobis abigite furialia illa monstra, quæ hæreticis fidem habendam dissuadent, quæ Religionis vulnus ferro secandum putant, quæ vobis in aurem: *Urite, secate, occidite*; Absit, optime Imperator, non statim omnes Hæretici sunt, qui diversum à Te in Religione sentiunt, nec illi, qui in Concilii Tridentini verba non jurarunt. Hos demùm Hæreticos Augustinus pronunciat, qui alicujus temporalis cõmodi, & maximè gloriæ principatusq; sui gratia, falsas ac novas opiniones gignunt, spargunt, & pertinaciter, etiã moniti, defendunt, cæteri saltem errant, & bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Dominũ atq; amare credentes. Nec est, quod Cerberi quidã aggañiant, Infeliciter esse, & fore Respublicas, in quibus Religionis aliquot dissidium: In Ægypto quatuor vigere Christianorũ sectas fama est; Vivunt tamẽ Antistites sine odiis, docti sæpè sermones conferunt, suã quis q; sectã asserit, neq; plebs ad seditionẽ movetur. De Japonibus, maximo potentiq; populo, dicitur, novẽ illis esse Religionũ genera, & adhuc suis stat ĩmota sedib⁹ insula. Quid in Hollandia frequentius, quàm ut quilibet, quã velit sectã pro lubitu sectetur, vir huic, uxor alteri, filius iterùm alteri religioni adhæret, nec id domesticã quicquã turbat quietẽ. Diffidite itaq; Principes hisce portentis, quæ vim animis adhibendam censent, Inanis & vacuo est iste labor, non vi hominis regitur animus, contumax est, in Religione mortẽ nemo timet, dùm post mortẽ mori veretur, dulcedine quadã ac religioso nectare ebriis cuncta contemnuntur. Vinciri, uri, ferrũ laqueosq; jugulo excipere, felicitatis loco habetur. In Phalaridis quãvis perurantur tauro, tamẽ clamabunt *Dulce est*, flammarum vim nõ sentientes. Testis tu mihi Germania, Vos quoq; Gallia & Batavia testes, Tu verò Deus, Regum & Principũ corda flecte, miserisq; tui nominis amore exulibus opẽ adfer benignè. Nunc transibimus in castra ad generosos Martis alumnos. Hi apertâ incedunt fronte, hostibus furtim vim inferre nesciunt, & cum Alexandro furari se victorias velle negant, nil itaq; diffidẽtia opus. Sed noli tibi palpum obtrudere, quisquis es, qui exercitum ducis, si ulli mortalium diffidentia necessaria, tibi eam imprimis necessariam duco. Plenus ubiq; fraudium in hostem hostis, singulisq; momentis mortem tibi & exercitui toto hostilis fraus meditatur, gloriæ ducitur, astu & dolis hostẽ potiùs, quàm armis vincere. Quot ego exercituum Duces video, qui dolis adversatiorũ atq; technis irretiti cruentâ periere morte, ad quorum arma paulò ante hostiles trepidarunt exercitus? quot ego Heroës transfugarum proditorumq; impia confossos manu memorare possem? Quot in colloquio cum hoste miserè trucidatos? Cyrus subacta Asia & universo Oriente Scythis bellum infert, copiis itaq; trajectis, cùm aliquanti sper in Scythiam processisset, statim ad dolos sese vertit, castra metatur, metum simulat, postera quæque die quasi fugiens, castra deserit, sed vini affatim, & ea, quę epulis necessaria erant, relinquit; Nunciatur hæc fuga Reginæ, credit illa, mittit adolescentulum filium ad persequendum eum cum exercitu. Venit ad Cyri castra, omissis hostibus insuetos barbaros vino se onerare patitur; O rei militaris ignare Adolescens! non ad epulas, sed ad prælium venisti. Indulge genio tuo, vino te reple, mox vinô æternũ sepelieris. Revertitur Cyrus per noctẽ, saucios opprimit, omnesq; Scythas cum Reginæ filio interficit. Euge infelix Adolescens, diffidentiam omnibus Adolescentibus, omnibus exercituũ Ducibus tuum sepulchrũ cõmendat. Verùm & tu tibi cave Cyre, ingressus es Scythiam, nondum egressus, diffide matri filio suo unico orbatæ, & illa jam mortis tibi parat insi-

dias, ſic eſt: Amiſſo enim tanto exercitu, & quod gravius dolendum, unico filio, orbitatis dolorem non in lachrymas effundit, ſed in ultionis ſolatia intendit, hoſtes recenti victoria exultantes, pari inſidiarum fraude circumvenire ſtatuit. Utere hac virtute Tomyris! mox Cyri caput in utrem humano ſanguine repletum conjicies, & tu, Cyre, te ſanguine, quem ſitiiſti, cujusque inſatiabilis ſemper fuiſti, ſatiabis. Regina ſimulata Diffidentia, propter vulnus acceptum pariter fugit, Cyrumq; ad anguſta ducit loca, ibique compoſitis in montibus inſidiis ducenta millia Perſarum cum ipſo Rege trucidat, adeò quidem, ut nec ullus tantæ cladis nuncius ſuperfuerit. *Sic ars eluditur arte, ſic Cyrus muliebri aſtu vincitur. Sic Cyrus muliebris aſtu vincitur.* Pari calliditatis ſpecie apud Cannas victrices cepit Romanorum Aquilas Hannibal, *qui in Romanorum perniciem educatus, & à patre ſuo Hamilcare jam in adoleſcentia in Romanorum odium jurejurando adductus erat.* Compererat ille Vulturnum amnem ultra reliquorum fluminum naturam auras manè proflare, quæ arenarum pulverisque vertices agerent; ſic itaque ducit Exercitum, ut ſolem & pulverem averſum haberet, omnisque pulvis à tergo ſuis, Romanis verò in ora & oculos incideret, quo ille artificio inſigni, tantam Romanorum ſtragem edit, ut duos modios annulorũ, quos cœſis Equitibus Romanis detraxerat, Carthaginem mitteret. Ite nunc Romani, & hoſtibus diffidite, qui ſolem, ventũ & pulverem in veſtrum alliciunt interitum. Babylon urbs erat munitiſſima, mœnia ejus coctô latere exſtructa erant, adeo quidem, ut difficilis ejus expugnatio eſſet: Æſtuante ideò Rege Dario, Zopyrus domi ſe vulneribus toto corpore lacerari, naſum, aures & labia ſibi præcidi jubet, & ſic Babylonem fugit, populo laniatũ corpus oſtendit, de crudelitate Regis queritur, à quo in Regni petitione, non virtute, ſed auſpicio, non hominum judicio, ſed equi hinnitu ſuperatus ſit, jubet illos ex amicis exemplum capere, quod hoſtibus cavendum ſit. Hortatur non mœnibus magis, quàm armis confidant, patianturque ſe commune bellum recẽtiore ira gerere. Nota erat omnibus hujus Viri Nobilitas, nota pariter ejus virtus, nec de fide timebant, cujus veluti pignora, vulnera corporis & injuriæ notas tenebant. Omnium itaq; ſuffragio Dux conſtituitur, & accepta parva manu ſemel atq; iterũ cedentibus conſulto Perſis ſecunda prælia facit. Ad poſtremum univerſum ſibi concreditum exercitum Dario prodit, urbemq; ipſam in poteſtatem ejus redigit. Quid de Antiocho, cognomẽto Deo, dicam, quo ille vulnere periit? Nullo alio, niſi ſolius credulitatis, quod nimiam Proditoribus habetet fidem. Demetrii Regis Syriæ copias militares ducebat Diodorus Tryphon, homo peſſimus, cujus vita nihil aliud, quàm proditio atq; perfidia fuit. Rege bello, ac inimicis Parthorum armis petito, Tryphon exercitui præficitur, ſed hic deſerto Demetrio, mox cum Antiocho ſeſe conjungit, eumq; Syriæ Regem conſtituit. Cave Antioche, ne fide Proditori, qui ſemel perfidus factus, nunquam fidelis poſthac reperietur. Cave, ubi occaſionem nactus fuerit, mucronem in jugulum vertet tuum. Vera loquor, paulò enim poſt Proditor hic perfidus ſuâ manu Antiochum perimit. Infelicior adhuc Ariarathes junior, hic graviter ferebat Patris ſui Interfectorẽ Gordium per avunculum ſuum Mithridatem ab exilio revocari, ingentem itaque cõtra eum exercitum conſcribit; nec ſegnior erat Mithridates, exercitum comparat, in aciem educit. Videte aſtutiam homiuis! Belli incertum timebat eventum, conſilia itaq; ad inſidias transfert: Juvenem ad colloquium ſollicitat, ferrum inter faſcias occultat, & inſpectante utroq; exercitu interficit. Inũc Ariarathes, temereq; cum hoſte colloquia miſce. Morere, poſterisque tuis exemplum linque, quantoperè hoſti diffidendum. Non ſanè ſufficit, Auditores optimi in caſtris in ipsâ acie hoſtiũ diffidere doloſo exercitui, in ipſa pace iis, qui hoſtes fuêre, aut aliquando futuri metuuntur, etiam diffidendum. Cogita, quisquis Imperii faſces tenes, hoſtis nunquam exuere vicinos animũ, ſi arma depoſueris, vigilias neglexeris, vicinum tuum hoſtẽ certiſſimum habebis, ſi tua ſemper in campis fulgentia viderit arma, metuet, tuque ſecurus eris. Creverat in tantum Maſſilia ex parvis initiis, ut omnibus ferè finitimis populis eam exitio aliquando fore, metus eſſet. Rex Comanus itaque de ea, in ipſo ortu opprimendâ conſilium capit, ne mox validior facta illum opprimeret. Itaque, ut cautè ageret, ſolemni Floraliorum die multos fortes ac ſtrenuos viros hoſpitii jure in urbem mittit, plures ſub ſcirpis latentes, frondibusque ſupertectos induci vehiculis jubet, ipſe verò cum exercitu in proximis montibus delitеſcit, ut cum

noctæ à prædictis apertæ portæ forent, præstò ad insidias esset, urbemq; armatis invaderet. Non dubito, A. O. quin hæc res ex sententia Comano processisset, nisi muliercula miserta formæ cujusdam Adolescentis Græci, cum quo adulterare solita fuerat, in ipso amplexu ipsi insidias aperuisset, periculumq; declinare jussisset. Defertitaq; Juvenis rem ad Magistratũ, Ligures cõprehendũtur, latentes descirpis protrahuntur, omnes cũ ipso Rege interficiuntur. Et addit egregius scriptor. *Exindè Massilienses festis diebus portas claudebant, vigilias agebant, stationẽ in muris observabant, peregrinos recognoscebant, ac veluti bellum haberent, sic urbem Pacis temporibus custodiebant.* Dulcis patria, omnium tu terrarũ felicissima fores, si in alta quoq;, quà sedebas, pace, diffidere voluisses, si parvã saltem militũ manũ aluisses, nõ tuis jam peregrina superbirẽt regna spoliis. Sed cur ego cicatrices jã obductas refrico? Quid mihi cum trucis Bellonæ prole amplius? Ad amicos, ad Conjuges, quos morũ similitudo, amor, & sangnis conjunxit, jam confugiam°. Dulcis vita, A. O. amico sociata, in eâ amara dulcescũt, aspera mollescunt, lachrymæ siccantur, ipsum mortis nomẽ durissimũ propter amicum contemnitur. Damon & Pythias id testantur, testantur id Volumnius & Lucullus, Orestes & Pylades, Achilles & Patroclus, L. Petronius & Cœlius. Sed rara hæc per tot retrò secula sunt exempla, non multos hodiè reperies Gracchos & Blosios, Reginos & Servilios, cui itaque, vide, fidas. Securâ bolide tẽtandum humani pectoris profundum. Nihil quicquam in toto terrarum orbe firmũ atq; stabile, ne montes quidẽ & rupes, quãto minus mens humana? ut piscis nunquã sine spinis, sic nec hominem facilè invenies, qui non perfidum spinosumq; quiddã admixtũ habeat. Qui hodiè amicus est, cras inimicã induere mentẽ potest. Cave itaq;, quisquis es, in amicissimum quicquam effundere, q̃ cum rubore tibi objici possit. Diffide, nihil quippè frequẽtius, quã per amici fallere nomẽ. Candaulis Lydorũ Regis mortẽ funestã cogita. Hic suam uxorẽ, quã propter formæ pulchritudinem deperibat, prædicare omnibus solebat, nõ contentus voluptatum suarũ tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret, prorsus quasi silentium damnum pulchritudinis esset. Ad postremum, ut affirmationi suæ fidem faceret, nudam illam sodali suo Gygi, in cubiculo occultato, ostendit, sed cũ maximo suo malo. Dum enim Gyges, nudam per multum otiũ spectat ipse amore inardescit, moxq; amicũ & Dominum suũ eodẽ in loco obtruncat. O quã multi adhuc viri egregii, & ad laudes nati, simulata capiuntur amicitia! Testis Datames, vir omniũ Barbarorũ ditissim°, jacet ille perfida amici confossus manu: diffide itaq; etiam amicis. Ad gratissimum nunc abeamus Conjugis latus, hic laborum omniũ solatiũ, hic fessis curis animis quies, in gratissimo hujus sinu intima pectoris arcana deponimus, cũ hac omnis fortunæ inita societas, hic itaq; metus aut perfidiæ locus nullus erit: sed morã paulisper trahe, quisquis thalamũ intras, nõ semper liliis & rosis, sæpiùs spinis & veneno tibi lectũ stratũ videbis, nõ omnes Porciæ, Catonis filiæ, animos gestãt, quæ spiritũ simul cũ suo Bruto occludebat, non omnes Hypsicrateæ, quæ Mithridatẽ Conjugẽ per efferatas gentes fugientẽ sequebatur, nõ omnes Texenæ, quæ spiritus sui periculo extremos viri Agathoclis spiritus excipere volebat, nõ omnes Blancæ, quæ Actiolini precibus, minis & cruciatibus non territa, allevato mariatlis sepulchri lapide, caput sibi conterebat, spiritumq; tenuẽ & exiturientẽ emittebat. Neq; omnes Epominæ, quæ cũ Sabino suo spelunca intrabat, & per totos novẽ años illic delitescebat, liberos concipiebat, sola obstetricante Caritate. Plures Messalinas, Faustinas, Fredegundas, Barbaras & Marias legimus, quæ omnes furtivo & impudico amori deditæ suos defraudarunt Conjuges. Diffidite itaq; Conjuges, Tu v. imprimis, cui uxor comis, blanda, nimiumq; exculta; diffide, rara verecundiæ cum nimia Elegantia solet esse mixtura. Si formosa, & in exteriore membrorum compositione tenera, mollis, Cave; peregrini amoris solent hæc esse provocatoria, nec rarò ob eũ thalami purpurari solent. Fredegundim cogita, consueverat illa furtim cum Landrico, Equitũ Magistro, sed miro illud casu viro Chilperico, Galliarũ Regi, iñotuit. Ibat ille venatũ, conspicatusq; uxorẽ, quæ capillũ fortè comebat, lotumq; in sole siccabat, tacit° accedit, & per lusum à tergo virgâ, quã manu gerebat, percutit. Illa suspicata, amatorẽ suũ esse. Quid agis, inquit, mi Landrice? *Quin si vir es, adversã me, non aversam pete*, hęc postquam dixerat, se ob vertit, plura etiam dictura, sed attonita maritum videt, & silet. Similiter maritus. Interea venatum, ut instituerat, pergit, iram, coquens & vindictam meditans. Fredegundis diram tem-

tempeſtatem inſtare augurans, adeoq́ne præveniendum rata Lã-
dricum vocat. eique totam rem enarrat, periculum imminens
annunciat, virumque è medio tollendum ſuadet. Landricus ſuo
metu & illo ſtimulo excitatus, rem ſuſcipit, ac comitatus duob⁹
è fideliſſimis, Chilpericum ſera nocte è venatu redeuntem ferro
invadit, tandemque variis ictibus conficit. Quid de Roſimun-
da dicam? neſcio an ſceleſtius aliquid Sol viderit, Hæc non pri-
oris mariti Alboini nece contenta erat, ſed & ſecundum mari-
tum, primi interfectorem, è balneo exeuntem, porrecto poculo
venenato enecat. In eadem perfidiæ ſchola docta atque edocta
Johanna Roberti Regis Neapolitani filia. In matrimonii con-
ſortium hæc aſſumpſerat Andream Regis Ungariæ filium, ſed nõ
multò poſt eum interficit, alterique nubit. Immortalem DEUM!
unde hæc in fœminarum pectoribus perfidia, ſed unde in filiis! ut
Parentibus, qui vitam dederunt, vitam adimere poſſint. Ptolo-
mæus inter hæc monſtra choream ducet. Is non Patrem ſolùm,
ſed & Matrem interficit. Crudelius adhuc Eucratidis filius. Fe-
cerat hanc beluam Pater Regni participem, & ab eo in itinere in-
terficitur, neque diſſimulat hoc impurum animal parricidium;
nam currum per interemti Patris ſanguinem agit, corpusque in-
ſepultum abjici jubet, quaſi hoſtem, non Patrem interfeciſſet.
O ſceleratum caput ac perfidum, ni fallor,

durus genuit te. cautibus horrens
Caucaſus, hyrcanæq́, admorunt ubera tigres!

Nolo patrum ſanguine amplius hoc cruentare theatrum; Anti-
patrum matris interfectorem nunc producam. Mortuo marito
propenſior mater in diviſione Regni in Alexandrum fuerat, ſed
quid ille? hominem planè exuit, Matrem Theſſalonicem adori-
tur, eidem minatur, & quamvis per ubera materna mortem de-
precaretur, tamen occidit. Videtis, Auditores Optimi, quam
perfidum, crudele ac immane hominis ſit pectus. Non hoſpes ab
hoſpite, non Conjux à marita; Nec Parentes à liberis tuti. Ubi ubi
terrarum igitur pedem figemus, ut extra metum vivere queamus,
nec diffidere neceſſum habeamus? Agite, in alium orbem trans-
eamus. Etenim ſemper illi pueri, qui domi ſedent, qui extra pa-
terni agelli ambitum Solem nunquam viderunt, humiles & plebe-
iæ animæ Laribus ſemper ſacra faciunt ſuæq́; terræ affixæ ſunt, di-

vinior cœlum imitatur, & perpetuò motu gaudet. Et quidni! Imus in peregrinam terram, ut omnium gentium Inſtituta, Le-
ges, Jura, Ritus, Mores & Conſuetudines videamus, audiamus &
exploremus; Mirum ſanè quantum ad prudentiam ponderis ad-
ferat & momenti peregrinatio; ſed heus, quisquis ita in alienum
involas orbem, Cave, Cave credas tuta tibi omnia, diffide, mille,
mille circumveniendi modi, mille artificia, ubiq; inſidiæ & laquei
incautis tendi ſolent. Quot diverſoria, tot pericula, quot ho-
ſpites, tot ſicarios cogita; Ubivis nil niſi Sirenes & Circes videbis,
Lenonum item, Paraſitorũ, Ganionum innumera agmina. Quid
dicam de Veneris Nepotulis, de pudicitiæ expugnatoribus, de
Venerum formis rarioribus, quæ capillorum ſuorum cirris, auro,
pigmentis, purpura, cultu, oculis, fronte, toto denique corporis
habitu, ſimplices Juvenes faſcinant & ineſcãt. Fugite, fugite hinc,
Adoleſcentes optimi, ſiquidem anguis in herba latet, ſi tenerã cer
vicẽ, ſi pectus lacteum, ſi ubera libidinum folles, omnium proſti-
tuta oculis videritis, ſuſpenſam hederam vino venali quidem, ſed
non vendibili, putate, & longiſſimè diſcedite. Si melleos modu-
los cantaverint, aures obtrate velut

obturat aures callida aſpis
quæ magicos metuit ſuſurros.

Altius in pectus mulieris cantantis vox dimittitur, quàm extolli-
tur. Fuge itaq́; & diffide. Si ſacrorum Antiſtitum, vel Jeſuitarum
greges videris, dedaleis te amove remigiis; Multos novi, qui domi
& in Patria, expectatione primi erant, & quibus ne meliores quidẽ
voto fingi poterant, domum Apoſtatæ, Romanæq; Religionis
porrigine infecti rediere. Quantus eſt eorum adoleſcentũ nume-
rus, de quibus, cum paternis laribus exeunt, magna ſpes eſt, fore,
ut aliquando Agamemonis perſonã ſuſtineant, qui tamen ex pe-
regrinis regionibus reduces vix Therſiten agere poſſunt; Quis
nunc idoneus revertitur, quis Germanus? Scapulas contrahẽdo
attollere, in ſalutando amico pronis cervicibus & veſtigiis verrẽ-
tibus terrã dextræ tibiæ tegumentum infra genu timidiſſima liba
re manu, capillũ in varios gyros frangere, pulvere (utinã nitrato)
capillorum colorẽ mentiri, ad muliebres blanditias vocẽ extenu-
are, mollicie corporis cum fæminis decertare; demq; Sardanapa-
lorum inſtar, inter fæminas deliteſcere, cum iis ad numerũ ire ſali-

re,garrire,& planè ſolemnia inſanire, hæc peregrinorum noſtrō-
rum nunc ſunt ſpecimina. Quotquot igitur veſtrum ſunt, optimi
& ingenui Adoleſcentes, quos virtus in aliud vocat ſolū, diffidē-
tiæ ſcuto muniti illud accedite, & intrate, hâc freti greſſus veſtros
in rectā dirigetis viam, veſtramq; indolem hactenus optimā, pro-
bam ac honeſtam à terrarum iſtarum contagio, & projecta tur-
piſſimorum morum licentia vindicabitis. O ſalutaris toti orbi
diffidentia, ſi ſine tuo præſidio eſſet, omnes periremus! Totum
ferè jam emenſi ſum9 orbem, nec ullum adhuc periculo vacuum
vidimus aut invenimus locum; ſine te Reges in ſuis Aulis, in Cu-
riis, in Foro, Magiſtratus in Senatu, in Tribunali, ſine te Eccleſia in
choro, ſine te miles in acie, nos omnes ſine te in ædibus noſtris, in
itinere, imò in ipſo conjugis ſinu vix mortem & quævis mortis
pericula effugere poſſumus. Jure itaq; dixi, nec dixiſſe pœnitet,
totam hujus mundi ſecuritatem à diffidentia pendere. Sed cur e-
go diffidentiam non honeſtam, cur non neceſſariam, cur nō uti-
lem quoq;, cur nō maximè ſalutarem dicerem? Politicorum filii
magno numero ſe nobis obtrudunt. & integra conſcribunt vo-
lumina, quomodo urbes ſive Respublicæ conſerventur & incre-
menta ſumant. Unus cœlum ſcrutatur, alter terram, Inclinantia
hic aſtra producit, alter fatum allegat, quidam periodos numerat
alius mores hominum inter cauſas collocat, reconditas alius di-
vitias rimatur, & auriferos amnes, montes aureos ſcrutatur, quæ-
rit; Ego ſola diffidentia Rempublicam & urbes imōtas ſtare, &
ſupra fidem creſcere aſſerere non erubeſco. Ea enim inſtar anti-
doti eſt, quod Reges, Principes, Respublicas, & omnia ſervat, ſar-
ta tectaq; cuſtodit. Conſideraſti illud, Grype, & mortis periculum
declinaſti, vicerat hic prælio Alexandrum, & patruum Regnum
recuperaverat, ſed ecce Matris perfidiam! externis liberatus peri-
culis, Matris petitur inſidiis. Interfecerat hoc mulieris prodigi-
um ſuum Maritum, interfecerat alterum filium, jam huic venenū
parat. Venienti itaq; ab exercitatione, & ſitienti poculum veneni
obfert; ſed quid Grypus! diffidit optimè! abnuit, & quaſi pietate
cum Matre certaret, prius eam bibere jubet. Vincitur Regina ſce-
lere in ſe verſo, venenoq; epoto, quod filio paraverat, extinguitur
Grypus verò parta regni ſecuritate, per octo annos quietè regnat
Grype, Grype, ſi Antidoti ducētas devoraſſes pyxides, nuquā eva-
ſiſſes, ſola diffidentia te tuumq; conſervaſti regnum. Quid de Car-
thaginenſibus dicam, cujus ope illorum conſervata Respublica?
ſola diffidentia. Hanno Princeps iſtius Reipublicæ dominationē
invadere, Senatumq; interficere conabatur; Sceleri huic ſolemnē
nuptiarū diem filiæ ſuæ legit, ut religione votorum nefanda cō-
menta facilius tegerentur; Plebi itaq; epulas in publicis portici-
bus, Senatui in domo ſua parat, ſaltem ut poculis veneno infectis
ſecretiùs Senatū, & ſine arbitris interficeret, orbamq; Rempubli-
cā facilius invaderet. Sed Senatus diffidendo ſcelus declinat, atq;
ſic ſe totāq; Rēpublicâ ſervat. Iisdē artibus Auguſt9 feliciſſim9 Im-
perator, tàm vaſti Imperii clavū feliciter tenebat, Æmilio Lepi-
do & Antonio diffidebat, ſe urbemq; Romā incolumē præſtabat.
Quid dicā de Græcorū Oſtraciſmo? Sanè is nil niſi diffidētiæ quę-
dā ſpecies erat. Teſtarū ſuffragiis ex urbe pellebāt eos, quorū opes
aut virtutes tantū creverāt, ut extra privatorū ſortē poſiti viderē-
tur. Erat quoddā relegationis genus nō propter improbitatē, ſed
ſumas propter virtutes aut opes, cēties tamē hujus beneficio ho-
rū Respublicæ cōſervatæ, & ab invaſoribus liberatæ fuere; Cōtra
quot damna, quot calamitates, quot clades inſemetipſos, in Rē-
publicā & totū orbē advolvūt, q diffidere nolūt. Maris inundati-
ones, Chaſmata, Fulmina & Tonitrua maximam penè cladē regi-
onibus inferunt, verùm ſi cum iis, qui diffidere nolunt, hæc com-
pares, non damna vel clades dixeris? Unicam, ſi ego dixero, E-
vam, omnia dixero. Quis primordiale neſcit delictum, quis
traducem, & in ſemine venenum ignorat? Heu quantum ſævis,
mulier, etiam in illos, qui nullum paradiſi ceſpitem norunt, quam
validè in omnē poſteritatem jacularis venena, Teſtes inferorum
flam̄æ, teſtis, quicquid in hoc orbe malè nobis contigit. Utinam
diffiſa antiqui ſerpētis blanditiis fuiſſes! Tu quoq; Juli Cæſar, cur
plus juſto Bruto tribuis? ſcilicet ut jugulum tibi frangeret; Cur
libellum inſidiarum indicem, ab obvio quodam porrectum, cæ-
teris libellis, quos ſiniſtra tenebas manu, quaſi mox inſpiciendam
adjungis? Cave! ſtatim confidentiæ tuæ pœnas dabis, Romanaq;
Curia tuo ſanguine madebit. Narratur idem de Agia Thebano-
rum Tyranno; cui cum fuſior allata eſſet de conjuratis inter con-
vivandum epiſtola, & ab eo, qui perferebat, admoneretur, ut
eveſtigiò legeret, quippè quæ de feriis rebus ſcripta eſſet, riſit, &
in craſtinum ergò feria, dixit, ſimulq; acceptam Epiſtolam pul-

villo ſuppoſuit, genioq; indulgere perrexit. Verùm eadem nocte à Pelopida ſublatus eſt. Sic Nicephorus Phocas Imperator Orientis ſua culpa in lecto dormiens, cœſus eſt, quod libellum ſibi traditum, in quo conjuratorum nomina conſcripta erant, & ut ſequentem noctem caveret, non legiſſet. Sic Dio à Calippo, ſic Antipater à Demetrio miſerè trucidati, omnes diffidere veriti, omnes quoq; miſerè interempti.

Videtis damna, Auditores Optimi, quæ à neglecta diffidentia in Reſpublicas ſurgunt; Diffidite itaq;, nec cuivis aures credulas date. Vos quotquot eſtis, Reges, Principes, diffidite, vos quotquot Principibus chari & propinqui eſtis, diffidite; Cavete, qui pro tribunali ſedetis, qui jura populo redditis, diffidite; Si Sacroſanctæ Dei Altaria acceſſeritis, diffidite; Papæ, Cardinalibus Epiſcopis, totiq; Clero, quamvis ſanctè jurent, diffidite; Transfugis, Viatoribus, Proditoribus nimiumnè tribuite milites, vobis bis peccare non licet. Vos familiarum Patres, veſtris liberis ac Conjugibus diffidite, Amicis, Hoſpitibus, Puellulis, toti deniq; orbi, & quicquid eſt in orbe doli fraudisq; capax, diffidite. Quod ſi feceritis, omnia in vado erunt, ſi neglexeritis, certo certius de vobis actum erit. Sed quid vobis videtur, Profeſſores Excellentiſſimi, Lumina & Ornamenta Germaniæ, quid tibi Nobiliſſima Juvenum corona? numnè egregiè dixiſſe videor, quod omnibus omninò hominibus diffidere ſuaſerim, numnè perfidiæ quoddam vexillum ſuſtuliſſe, numnè ad quævis ſcelera claſſicum ceciniſſe videor? Abſit, Auditores Honoratiſſimi, abſit à Chriſtiano pectore, abſit à religioſo ore! Fuſius & liberius mêrem meam vobis explicarem, niſi tædium vobis obrepere metuerem; ſed vereor quoq; Cæſaris Viatorem. Tribus itaq; verbis mentem meam accipite: Diffidêtiam ſuadeo, eámq; honeſtã, neceſſariã, & ſummè utilem, orbi Chriſtiano dico; Fraudis enim atq; inſidiarũ omnia ſunt plena, rarò quendam invenies, cui cor ſit idem, eademq; facies, neceſſariò itaq; quædam adhibenda cautio, ut inſidias vites, pericula propelles, milleq; mortis modos declines, quæ omnia ſola præſtat Diffidentia. Illa verò duo habet extrema, quæ vitio nõ carent. *Nemini credere iniquiſſimũ, omnibus turpiſſimum.* Non laudo Domitianũ, qui adeò diffidens erat, ut Porticum, in quâ deambulare ſolebat, Phengite marmore incruſtaret, ut ei lapidis illius fulgore, veluti in ſpeculo, non minus eorum, qui à tergo, quàm qui à fronte ſe offerrent, imagines eodem tempore repræſentarentur. Abominor omnes Reges & Principes, qui nulli Cõſiliariorũ fidẽ adhibẽt. Id tamẽ volo, id ſuadeo, ut nõ promiſcuè, nulla ætatis, vel fortunæ, vel tẽporis ratione habita, omnibus credãt; Cõſiliariis fortuna varia exercitatis, incorruptis, eruditiõe moribꝰ rerũq; experiẽtia probatis, omninò credendũ, idq; non ſaltẽ ſummè utile, ſed & neceſſariũ; Cæteri nullã aut penè exiguã fidẽ vix merentur. Jam vos dimitterẽ, Auditores Honoratiſſimi, niſi unicũ adhuc eſſet, quod niſi adderẽ, dubito num rectè dixiſſem. Sunt quædã ciborũ genera, quæ niſi aromatibus benè condiãtur, planè inſipida & inſulſa; Sic quoq; Diffidentia, niſi Simulatione & Diſſimulatione condiatur, Prudentia temperetur, planè vana & inutilis. Nihil quippè magis cavendũ, quàm ne diffidere videamur. Aptè hæc fabula agi debet & decorè. Qui ineptè, qui inõdicè diffidit, fatuus eſt, & omniũ odia incũrrit ſæviſſima; Hoc ſemper cogitate, *doli non ſunt doli, ni aſtu voles*, vetus eſt verbũ ſed veriſſimũ. Ite nunc Profeſſores, Magnifici, Excellentiſſimi, admodum Reverendi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi; Ite, Viri Clariſſimi, Tu quoq; hujus ſeneſcentis ſpes mundi! & ſequere; Ite omnes quotquot adeſtis, Fautores & Amici. Ite, ſed pede fauſto ac felici, ac pro tanta in auſcultando benevolentiâ & humanitate, gratum accipite animum, & cum aliud ſolvere nequeam, pro veſtra incolumitate, tùm hujus Reipublicæ feliciſſimo incremento preces devotiſſimas.

FINIS.

ÆTERNITATI FAMILIÆ BUCHWALDIANÆ

Quid dicam, Joachime, tuos dum pondero niſus,
quid cernens Generis Nomina longa tui?
Tempus erat, quo ſe virtus illuſtris Avorum
Obtulerat medio vi vegetante polo;
Famq; æternatæ vivunt oracula famæ
Et merita haudullo corruitura die;
Sed tu majori properas ad ſidera curſu
Et latus igniflui Solis utrumq; petis.
Perge ita, Quos tellus Tibi Patria ſpondet honores
Æquabunt magno, te, mihi crede, Patri.

P. B.

INSIGNI EJUSDEM ORNAMENTO DN. IOACHIMO à BVCHVVALD. DE DIFFIDENTIA DISSERTANTI

Buchwalde, purus cujus ex oculis micat
Virtutis ardor, indoleſq; cœlico
referta motu, quo Tuarum nomine
momenta laudum, quæſo, quêis colam metris?
Stupent tuas noſtræ, nec aliter convenit,
dotes Athenæ, & docta laudant pulpita.
Et meritò. Tanta flammeæ qui ſæpius
ſpecimina profers mentis, an non in Tui
rapias amorem quoslibet mortalium?
Audivimus cuncti quibus facundiæ
inſtructus armis digna Diffidentiæ
ſtu a probâſti. O dulce dicendi genus,

O expolitum, ex ore quod fluit Tuo,
Venuste Rhetor! Benè Tibi! Benè & Tuo,
Buchwalde, Patri, quippè qui suæ dedit
Holsatiæ, dum Te dedit, novum jubar
radios quod olim plus satis prodet suos.
Abesto jam sequente *Diffidentia*
De Gloriâ omnis. Tuq; , qui *diffidere*
Scripto doces doctissimo, certissimam
De maximi celebritate Nominis
Creare nobis pergito *fiduciam.*

L. M. Q.
applaudebat

ENOCH Gläser Sil.

25.5
40

L. BODOCKI.
Acad. Rostoch. Orator. P.

ROSA VARNIACA,

SIVE

ACADEMIA ROSTOCHIENSIS
ad Varnum fluvium sita

IPSO EJUS DIE NATALI ANNUO
Nempe 12. Novembris Anni 1647.
AB IPSO FUNDATIONIS TEMPORE ANNI 1419.

IN

ROSA FRAGRANTE
expressa,

Nunc autem

Ad multorum instantiam publicæ luci communicata.

DIGNA. VT. ROSIS.
POSTERITATE. ORNETUR.
NON. MORTUA. AT. VIVA.
QVOTANNIS. A. GRATA.

ROSTOCHI,
Literis NICOLAI KILII, Academiæ Typographi
ANNO M. DC. XLVIII.